

Vergerius, Petrus Paulus

De nobilium puerorum educatione libellus

[Tübingen] 1560

Paed.th. 5922

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00038710-1

VD16 V 707

---

### Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Daten systemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

Paed. Th.

5922

R





EX ELECTORALI BIBLIOTHECA SERENISS. VTRIVSQ;  
BAVARIAE DUCVM.



1613.

Q

Vergetius.

Paed. Th.

5922

<36700074330017

<36700074330017

Bayer. Staatsbibliothek

33



Paedagog.

~~Vergenies.~~

~~No 270~~

R



SENIORIS

PETRI PAV  
LI VERGERII IV.  
STINOPOLITANI.

R  
DE NOBILIVM  
puerorum educatione,  
libellus grauis-  
simus.

CVM TESTIMONIO PETRI BEMBI  
inter doctos Italiae, nostri temporis, facile principis, &  
Præfatione Petri Pauli Vergerij Iureconsulti  
Iustinopolitani Iu-  
nioris.

M. D. LX.



ANNO 17

PETRI PA  
PI-VERGRIIV  
S LINOPOTAM

DE NOBILIVM  
pistonu edicione



OMI TESTIMONIO PETRI BE MRE  
inter doctor hanc noni tempore hanc pampis &  
Pistonu hanc hanc hanc hanc hanc  
hanc hanc hanc hanc hanc  
hanc

M. D. L. X.



PETRVS BEM

BVS PETRO PAVLO

VERGERIO PONTIFICIS MAX.

apud Regem Romanorum

oratori. S. P. D.



ETRI PAVLI

Vergerij maioris tui de  
ingenuis moribus li-  
brum ad pueros regios  
erudiendos, Vbertino Carrario  
missum nuper legi. Cuius oratio  
gravis & digna Philosopho, atq;  
(vt in illo seculo) pererudita me  
magnopere delectauit. Admoni-  
tusq; sum, te domi habuisse vnde  
disceres, animumq; tuum bonis  
artibus excoleres, quibus informa-  
tus atq; instructus magnum &  
excellentem virum, & cum Ro-  
manis Pontificibus charum, tum

A ij Chri-



00038710

Christianæ reipub : tam duro eius  
tempore peropportunum maxi-  
mèq; vtilem te præstares . Quod  
quidem abundè iam facis , addisq;  
ad clarum gentis & familiæ tuæ  
splendorem illud , quod in virtute  
positum est , ornamentum animi  
proprium ac verè tuum . Quoni-  
am autem audio regem admirabili  
ac diuino propè ingenio et singu-  
lari prudentia præditum , non il-  
los modò quibus imperat , Ger-  
manie Pannoniq; populos sum-  
ma incredibiliq; moderatione atq;  
iustitia continere , sed suos etiam  
liberos , quos illis reges relicturus  
est , ita educare atq; instituere , vt  
digni habeantur , qui suo tempore  
tantorum regnorum hæreditatem  
adeant , erit tui muneris atq; officij  
eum librum illi tradere legendum ,  
vt qui



ut quibus rudimentis, quibus moribus atq; artibus eos imbuat, de gentili tuo scire possit. Caue enim putes aut Carolum Romanorum Imperatorem eius fratrem, qui ei Germaniæ regnum tradidit, aut fortunam, quæ tam amplæ ditioni magnam Pannoniæ partem adiunxit, ad eius filiorum futuram gloriam æternitatemq; nominum plus contulisse, quàm est virtus ipsa collatura, præsertim optimarum artium doctrina & Philosophiæ monitis præceptisque perpolita. Neque enim Iulius minus scriptis, quàm gestis à se rebus est laudandus. neq; Alexander, si Homeri libros nunquam legisset, & Aristotelem magistrum non habuisset, tantum sibi nomen atq; gloriam comparare apud omnes homines

A iij omniaq;



00038710  
omniaq̄ secula potuisset. Quanc̄q̄  
habebunt Ferdinandi quidem cer-  
tè liberi patris virtutes, quas imita-  
ristudeant, quibusq̄ ad præclaras  
res gerendas accendantur. Sed si  
eos magister aliquis Vergerij tui  
monitis erudierit, et facilius æmu-  
lari eas poterunt, & ipsi se ad actio-  
nes immortalitati commendan-  
das diligentius et constantius hor-  
tabuntur. Quis est enim in aliquo  
itinere, qui cum sciat qua se flectere  
debeat, notamq̄ habeat omnem  
regionem, non celerius perueniat  
quo vult, quàm ille qui locorum  
atq̄ viæ ignarus casu regitur, &  
interdum errat, laboremq̄ suum  
sepe irritum & inanem facit? Qua-  
re et illi tibi, cum adoleuerint, mul-  
tum se debere fatebuntur, & illo-  
rum pater amoris erga te sui, quem  
qui-



90038710  
quidē magnum esse intelligo, grā-  
tiam sibi abs te relatā putabit, ea fi-  
liorum suorum rectē instituendo-  
rum cura cogitationeꝫ adhibita.  
Vale nosꝫ vt facis dilige. Quar-  
to Idus Nouemb. M. D. XXXIII.  
Patauio.

EX ELOGIIS DOCTORVM VL-  
TORVM AVTORE PAV-  
LO IOVIO.

PETRI PAULI  
Vergerij.

**I**S Iustinopoli in Histria natus, Chrysoloraꝫ  
discipulus, Græcas literas ex purissimo fonte  
haustas illustribus auditoribus humanissimè refu-  
dit, ut inductis passim eius linguæ riuulis, Italiam  
sitientem irrigaret. Latinè autem scribendi, singu-  
laris eo seculo facultas enituit, uti apparet ex eo  
libello, qui de educandis liberis ad exactam disci-  
plinam, per amœnè atq; prudenter scriptus, me  
puero in scholis legebatur.

A iiij

LA=



00038710

# LATOMI ADDUCTI à Iouio.

Hic sunt Vergerij sepulta docti,  
Non fama, & pietas, nec eruditi  
Fœtus ingenij, sed ossa tantum,  
Et quicquid tumulo solet recondi,  
Terrenum, breue, lubricum, caducum.  
Viuunt illa, manentq; & usq; & usq;  
Et uel Elysij recepta campis,  
Viri manibus, ut piæ ministræ,  
Adsunt, & meritum astruunt honorem.  
Vel per ora hominum uolant, cauentq;  
Ne mortis rabidum tulisse dentem  
Vel totus tumulo perisse, seclis  
Vllis Vergerius queat uideri.



ILLVSTRIS

SIMO PRINCIPI ET

D. D. EBERHARDO ILLVSTRIS.

Principis & D. D. Christophori

Vvirtenbergensium, & Tec-

ensium Ducis, Comitiscq;

Mompelgardi

filio.



NON MVLT O

post ea tempora, qui-  
bus in Italia floruerunt

Dantes Aligerus, Io-

annes Boccatus, & Franciscus

Petrarcha, viri certè ingenio atq;

eruditione summi, quoscq; breui-

ter, miraculi loco fuerit, potuisse

in tantis literarum atq; artium op-

timarum, quæ tunc vniuersam I-

talianam occupauerant, tenebris vsq;

A v adeo



00038710

adeò proficere , atq; elucescere , in  
summo quoq; pretio habitus fuit  
Petrus Paulus Vergerius Iusti-  
nopolitanus. Is Carrariensibus Pa-  
dua celeberrimæ & florentissimæ  
ciuitatis dominis , apud quos , vt li-  
terarum literatorumq; amantissî-  
mos , atq; obseruantissimos ( sicut  
anteà Petrarcha , cuius ille vitam ,  
quæ extat , conscripsit ) aliquandiu  
vixit. Carrariensibus eiectis , cum ,  
vt aut in patria , aut vsq; alibi in  
Venetorum ditione degeret , neu-  
tquam sibi consultū putaret , quòd  
& chariss. Carrariensib. & grauif-  
simorum consiliorum conscius fu-  
isset , profugiens , indè ad Sigis-  
mundum Imperatorem se contu-  
lit , à quo honorifice exceptus fuit.  
Haud ita multò post Constanti-  
ensi Concilio interfuit , à quo ad  
Bene-



Benedictum eius nominis Papam  
duodecimum, qui inde in Tarra-  
conensem Hispaniæ prouinciam  
profugerat, Legatus publicè mis-  
sus, pro sua prudentia atq; eloquen-  
cia, vt Papatu sponte abiret, potuit  
persuadere. Hic est ille Vergerius,  
qui cum non pauca suæ eruditio-  
nis monimenta atq; inter alia ele-  
gantem Carrariensium historiam  
(quam propediem, Deo volente,  
editurus sum) post se reliquisset,  
libellum quoq; de nobilium ado-  
lescentum educatione in lucem  
dedit, quem mihi libellum & vi-  
rum laudibus extollere visum non  
est, primùm ne meorum encomi-  
um ipse canere videar, deindè  
quòd grauissimorum hominum  
M. Antonij Sabellici, Raphaelis  
Volaterrani, Abbatis Tritemij  
Spana



Spanhemensis, & aliorum hono-  
rifica de illo testimonia extent: de-  
niq; quòd qualis sit, ipse se prodat  
statim vbi dictionem eius atq; e-  
ruditionem, prudentiam, gravita-  
temq; vel degustare cœperis. Vti-  
nam verò, vt multa mihi cum illo  
sunt communia (idem enim no-  
men, eadem cognatio, atq; familia,  
eadem patria, atq; in literarum  
studijs professio, eadem deniq;  
fors, & conditio exiliij è Veneto-  
rum ditione) illud quoq;, quod  
pluris est, quàm omnia, commune  
fuisset, vt eadem, qua ego ipse quo-  
que causa, nimirum propter Chri-  
stum, exulasset, eandem quam ego  
exortam pridem Euangelij lucem  
cernere, eamq; quam ego purio-  
ris doctrinae vocem in Ecclesijs  
sonantem audire, deinde eandem  
quàm



quam ego salutis æternæ arram  
sentire potuisset. Vtinam tale in-  
genium in hæc nostra foelicissima  
tempora, in quæ nos singulari Dei  
beneficio incidimus, uenire potuis-  
set. Quod tamen si Deo Opt: Max:  
aliter visum fuerit, nihil tamen im-  
pium, nihil superstitiosum in hoc  
libello deprehendas. Quare vt su-  
mere licebit ab alijs, quos nostra  
multos foelix tulit ætas, quæ ad  
corroborationem fidei, et spiritus,  
quæ ad consolationem animæ per  
sanguinem Christi redemptæ atti-  
nent, ex meo gentili non asper-  
nanda politica atq; ciuilia præcep-  
ta erunt petenda.

Cui verò potius eum donas-  
sem, quàm tibi, Eberharde Prin-  
ceps illustrissime, quem vnicè di-  
ligo



00038710

ligo atq; colo, ita, vt in te amando  
& colendo nemini cædam, cuiusq;  
illustrissimo sanctissimoq; parenti  
tantum sanè debeo, quantum ( vt  
multa paucis complectar ) post  
patrem meum cœlestem nemini?  
Habueram quidē ante XXV. an=  
nos in animo, tunc scilicet cum  
pro Rom: Pontifice legatione in  
Germania fungerer, & Saulum  
præclare agerē, Ferdinandi Rom.  
regis Serenissimis filijs dicare, præ=  
sertim hortatu clarissimi atq; elo=  
quentissimi viri Petri Bembi, cum  
quo mihi magna semper extitit  
necessitudo: sed cū mutata fue=  
rint tempora, mutataq; omnes  
rerum mearum rationes, tibi in  
summa, Princeps amplissime, re=  
seruata fuit hæc æditio, quam vt=  
potè ad instituendam tuam adole=  
scenti=



00686710  
scientiam vtilissimam, spero te æ-  
qua mente suscepturum: Neq; e-  
nim dubito quin in primis parens  
tuus Princeps sapientissimus, De-  
inde tuus morum formator Do-  
minus Io: Sigismundus à Lichav  
vir nobilis & summa rerum expe-  
rientia. Deinde præceptor tuus  
doctissimus & planè pius Sebasti-  
anus Coccius nō mediocriter pro-  
baturi sint. Illud semper memine-  
ris, qui tanta sapientia, tanta pieta-  
te & autoritate à Deo: Opt: Max:  
parentem nactus sis, vt meritò il-  
lum tota nō modo Germania, sed  
etiam Europa colat: deinde tanta  
eruditione, prudentia ac probitate  
educatorem atq; præceptorem, de-  
indè tanto ipse ingenio, tamq; præ-  
stanti natura præditus sis, vt expe-  
ctationi, quam de te apud omnes  
sanè



00038710  
sanè maximam concitasti, summa  
ope atq; alacri studio respondeas,  
quod vt queas perficere, ego  
æternum patrem D.N.  
Iesu Christi assi-  
duè roga-  
bo.

Tubingæ Calendis Decembris  
M. D. LX.

Tuæ Illustriss.  
Dignitatis

Observantissimus  
Vergerius.



PETRI PAULI  
VERGERII IV-  
STINOPOLITANI AD VBERTI-  
num Carrariensem de ingenuis  
moribus ac liberalibus  
studijs libellus.



P RANCISCVS SE-  
nior auus tuus, cuius vt ex-  
tant plurimæ res magnificè  
gestæ, ita & multa passim  
sapienter ab eo dicta me-  
morantur, dicere (vt accepimus) Vber-  
tine solebat, tria esse, in quibus bene cõ-  
sulere suis liberis parentes, vt facilè pos-  
sunt, ita iure meritoq; tenerentur. Pri-  
mum, vti honestis illos nominibus ap-  
pellent. nam est, vt in re parui momenti,  
non parua iactura, indecoram nominis  
appellationem sortitum esse, in quo quis-  
dem solent plerunq; nonnulli errare, dũ  
leuitate quadam aut ipsi nouorum nos-  
minum autores haberi uolunt, aut si qua

B à maior



PETRI PAULI VERGERII

à maioribus suis acceperunt, tanquam  
gentile patrimonium ad posteros certa  
fide transmittunt. Alterum, ut in egregiis  
urbibus eos statuunt, nam amplitudo  
splendorque patriæ plurimum valet  
tum ad opes & gloriam, tum etiam ad  
id quod tertio loco constituebatur ab il-  
lo, & iam dicetur à nobis. Quanquam  
in hoc plerumque eueniat quod Themis-  
tocles cum esset Atheniensis, Seriphio  
cuidam in contentione respondit, dum  
ille non propria virtute, sed patriæ splen-  
dore gloriosum factum eum contende-  
ret. Neque enim ( inquit is ) vel tu si A-  
theniensis esses clarus extitisses: aut ego  
si Seriphius, essem ignobilis. Tertium  
autem erat, ut bonis artibus liberos e-  
rudiunt Praclare omnia ut qui in omni  
genere rerum prudentissimus sui tem-  
poris & erat & habebatur. Sed postre-  
mum illud præter cætera commodiss-  
ime Neque enim opes vllas firmiores, aut  
certiora præsidia vitæ parare filijs geni-  
tores possunt, quam si eos exhibeant ho-  
nestis artibus & liberalibus disciplinis  
instruas



instructos: quibus præditi rebus, & ob-  
 scura suæ gentis nomina, & humiles pa-  
 trias attollere atq; illustrare consueue-  
 runt. Nam & mutare sibi nomē, dum id  
 sine fraude fiat, vnicuiq; per leges licet:  
 & transferre, quando libeat, domiciliū,  
 nemo prohibetur. Artibus verò bonis  
 nisi quis ab adolescētia fuerit instructus,  
 aut si peruersis infectus extiterit, nō faci-  
 le de se speret, in ætate prouectiori posse  
 aut has abijcere, aut illas cōtinuò sibi pa-  
 rare. Iaciēda sunt igitur in hac ætate fun-  
 damenta bene viuēdi, & formandus ad  
 virtutē animus, dum tener est, & facilis  
 quamlibet impressionē admittere: quæ  
 ut tunc erit, ita & in reliqua uita seruabitur.  
 Verū cum oēs homines deceat (pa-  
 rentes quidem in primis) eos esse, qui re-  
 ctè erudire suos liberos studeāt: & filios  
 deinde tales, qui parentib. bonis digni ui-  
 deri possint: præcipuè tamē qui celsiore  
 loco sunt, quorūq; nihil neq; dictū neq;  
 factū latere potest, decens est, ita princi-  
 palibus artibus instructos esse, ut & for-  
 tuna et gradu dignitatis, quam obtinent,

B ij digni



PETRI PAULI VERGERII

digni habeantur. Aequum est enim, qui sibi summa omnia deberi volunt, debere & eos summa omnia de se præstare. Nec est vlla certior, aut stabilior regnandi ratio, quam si hi qui regna obtinent, ab omnibus dignissimi omnium regno iudicentur. Quamobrem cum sis Vberæ tine, primum quidem nomen sortitus, quod fuit in vestra familia diu celebre, & ab eo nuper illustratum, qui retro sextus principatum ex genere vestro tenuit, deinde in hac vetustissima regia urbe, quæ & cunctarum bonarum artium studijs floret, & rerum omnium copia in hominum vsus abundat, ex principum genere, atq; ipso patre principe natus, sub cuius ductu & foelix urbis status, & vestrae familiae clarissimum nomen excrescit indies, magnopere lætor pro mea fide, tuaq; ac tuorum in me beneuolentia, quòd te video cum per parentis diligentiam, tum maximè tuo iudicio ad bonas artes & præclara studia omnino propensum ferri. Etsi enim tria illa, quæ diximus, à parentibus maximè desiderari



siderari videantur, in quorum profectō  
 singulis non sum qui negem eos pluri-  
 mum posse, præcipue tamen parentes  
 nomina imponunt natis. Casus, non-  
 nunquam electio dat homini patriam.  
 Bonas autem artes, aut ipsam virtutem,  
 sibi ipsi vnusquisq; comparat, quæ qui-  
 dem præ omnibus, quæ possunt ab ho-  
 minibus studio quæri, exoptanda est.  
 Nam opes, gloria, voluptates, fluxæ res  
 sunt & caduæ, habitus aut fructusq;  
 virtutum, perstat integer, atq; æternus  
 manet. Hoc igitur si te commoneam vt  
 sedulò facias, tametsi ipse libenter id  
 præsto, video tamen esse non necessari-  
 um. Quid enim aliud possum monere  
 te vt facias, quàm quod semper facis?  
 aut quem tibi alium ad exemplum vir-  
 tutis commendare, quàm te ipsum? Cū  
 enim ita ab ipsa natura & animi & cor-  
 poris dotibus constitutus videare, vt  
 omnia magna sperare de te liceat, tuq;  
 adeò etiam maiora omnia præstes, vt  
 non modò spem, sed & vota quoq; om-  
 nium exuperes: quid est quod aut ad-



PETRI PAULI VERGERII

hortatione cuiusquam fortius promo-  
ueri possis, aut cæterorum imitatione  
magis accendi? Tuo igitur nomine  
breue hoc opus suscepi, & de libera-  
libus adolescentiæ studijs ac moribus, id  
est, in quibus rebus exerceri ingenuos  
adolescentes, quæq; cauere conueniat,  
adortus sum ad te scribere: non quidem  
quo ipse te, sed vt per te cæteros id æta-  
tis commoneam: & cum quid agendum  
sit alijs præfinio, tu quod per te facis, in  
te recognoscas. Cum enim sit homo ex  
anima & corpore constitutus, magnum  
quiddam ab natura consecuti mihi vis-  
dentur, quibus est datum, vt & corporis  
viribus & ingenij valerent. Nam cum  
plurimos videamus, quibus sine culpa  
euenit nascentibus, vt & ingenio essent  
tardo, et corpore imbecilli: quantas gra-  
tias haberi naturæ conuenit, si secundū  
vtraq; hæc & integri sumus & validi?  
Ita aut referetur digna naturæ gratia,  
si non neglexerimus eius munera, sed ea  
rectis studijs bonisq; artibus excolere  
curauerimus.

Principis



Principiò igitur erit vn cuiq; suum ingenium per se spectandum: aut si minus per ætatem nobis perpendere id licebit, parentes ceteriq; quibus curæ erimus, animaduertere debebunt, & in quas res natura proni aptiq; fuerimus, eò potissimum studia nostra conferri, & in eis totos versari conueniet. Maximè verò qui sunt liberale ingenium à natura coniecti sinendi non sunt aut inertè ocio torpere, aut illiberalibus implicari negocijs.

Qua ratione in pueris ingenia dignoscantur, & qua ueniant tractandi sint.

**O**mnino autè liberalis ingenij prius argumentum est studio laudis excitari incendiq; amore glorie: unde oritur generosa quædam inuidia, & sine odio de laude probitareq; contentio. Proximum verò, parère libenter maioribus, nec esse bene monentibus contumaces. Nam vt equi meli ores ad pugnam habentur, qui faciles sunt manu

B iij regi,



PETRI PAULI VERGERII

regi, & ad tubarum clangorem arrectis  
auribus exultant, ita iuvenes, qui bene  
audiunt monitoribus, & laudati exci-  
tantur ad bonum, vberis spem frugis  
ferre præ se videntur. Cum enim bo-  
num ipsum virtutis, honestiq; faciem,  
inexpertis rerum complecti ratione non  
possint, quæ si posset oculis videri, mi-  
rabiles ad sapientiam ( vt inquit Plato,  
& Cicero meminist ) de se amores exci-  
taret, proximum est ab hoc gradu, vt  
gloriæ laudisq; studio ad optima conari  
velint. Amplius autem & qui sunt in a-  
ctionibus prompti, fugientes ocium, a-  
mantq; semper aliquid rectè agere, bene  
dispositi natura videntur. Nam vt in eis  
usdem generis similitudinibus verse-  
mur, quemadmodum equi cursores me-  
liores habentur, qui dato signo proti-  
nus exiliunt, nec calcarium stimulos,  
aut flagellorum plagas morati subsis-  
tunt: ita adolescentes, qui constitutis  
horis ad solita studia, intermissaq; pau-  
lisper exercitia alacres sine monitore re-  
deunt, præclarè constituti ad virtutis o-  
pera



pera habendi sunt. Sed & si commina-  
 tiones ac verbera metuant, magis au-  
 tem si dedecus atq; ignominiam, vnde  
 nascitur verecundia, quæ est in ea ætate  
 signum optimum. Bene igitur habet, si  
 & obiurgati erubescant, & castigati fi-  
 ant meliores, suosque præceptores a-  
 ment. nam & disciplinam amari indicio  
 est. Nec minor verò ad omnem probi-  
 tatem habenda de his spes est, qui sunt  
 natura benigni ac facile placabiles. Est  
 enim in animo simile quiddam, quod et  
 in corporibus. Nam vt in his significa-  
 tio est bonæ naturæ, nullo cibo abhor-  
 rere stomachum, sed quicquid ingeri-  
 tur, facile admittere, & in alimentum  
 conflare membrorum: ita & neminem  
 odisse, aut aspernari, sed quicquid dica-  
 tur fiatue, in meliorem partem habere  
 omnia, bene ab ipsa natura constituti  
 animi signum est. Ac multa quidem in  
 hunc modum sumi à moribus argumē-  
 ta possunt. Quod verò ad corporis habi-  
 tudinem attinet, molles carne, aptos esse  
 mente scripsit Aristoteles. De reliquis



PETRI PAULI VERGERII

consulendi erunt, qui per physionomiam  
 deprehendi posse vn:uscuiusq; ingenium  
 natiuosq; mores proficetur: quam  
 nos hinc rationem totam relinquamus.  
 Dignosci autem plerunq; , vt diximus,  
 ex indole potest, adolescentibus nobis,  
 quales viri futuri simus. Nam ab initio  
 quidem ætatis, profert in quibusdam na-  
 tura probitatis futuræ signa, veluti flo-  
 sculos. Vnde bonæ indolis iuuenes dici-  
 mus, qui effigie ipsa oris, & gestu cætes-  
 risq; actibus, spem de se bonam pollice-  
 ri videntur: quibus ut turpe est expecta-  
 tionem hominum fallere, ita laudi his  
 datur, qui sine vlla tali significatione,  
 probitatem euaserunt, imitati pomor-  
 rum quoddam genus, quæ sub turpi at-  
 que aspero cortice suauem asseruant ia-  
 porem. Hinc bene præcipiebatur à So-  
 crate, vt adolescentibus in speculo suam  
 imaginem crebrò contemplantur: ea  
 scilicet ratione, vt hi quibus inesset spe-  
 cie dignitas, vitijs illam non dehones-  
 tarent: qui verò deformiori specie vis-  
 derentur, formosos se ex virtutibus red-  
 dere



dere curarent. Magis autem idipsum  
 consequi fortasse poterunt, si non tam  
 suam speciem, quàm alienos probati ho-  
 minis mores & viuum speculum intue-  
 buntur. Nam si P. Scipio & Q. Fabius  
 (quod omnibus ferè generosis menti-  
 bus vsu euenit) illustrium virorum cō-  
 templandis imaginibus excitari se ma-  
 gnopere dicebant: quæ res Iulium quo-  
 que Cæsarem, visa magni Alexandri i-  
 magine, ad summam rerum accendit:  
 quid consentaneum est euenire, cum ip-  
 sam viuum effigiem, & adhuc spirans  
 exemplum intueri licet? Quanquam i-  
 mages fortasse maiorum, magis ad æ-  
 mulationem gloriæ animos excitent,  
 propterea quod hominis præsentia mi-  
 nuere plerunq; gloriam solet, & viuen-  
 tes comitari consuevit inuidia. Ad ex-  
 emplum certe virtutis ac morum, & ad  
 omnem doctrinam, vt viua vox, ita &  
 viui hominis mores plus valent. Debet  
 igitur studiosus adolescens, quem uirtus  
 tis veræq; gloriæ desiderium concitat.



PETRI PAULI VERGERII.

vnum aliquem pluresue, quos vereatur, deligere probatissimos viros, quorum vitam ac mores, quantum per ætatem licebit, imitetur. Illis autem cæterisque natu maioribus, cum omni tempore habenda sit grauitatis atq; modestiæ ratio, tum verò maximè coram iunioribus custodienda est. Iuuenum enim ætas prona est ad peccandum: ac nisi maiorum exemplis autoritateq; contineatur, facile semper in deteriora prolabitur.

Et quoniã insunt ipsis ex ætate proprii mores, quod & reliquis quoq; ætatibus accidit, ex his qui boni sunt, vsu præceptisque confirmandi erunt & iuuandi, qui verò mali atq; illaudabiles, corrigendi, quorum hi quidem naturam sequuntur tantùm, quidam autem experientiæ defectũ, alij verò vtrunq;. Sunt enim in primis natura largi atq; liberales, propterea quòd non sunt experti indigentias, neq; opes eis labore proprio quæsitæ sunt. Non enim solet fieri, vt temerè dissipet, qui cum labore

cons



DE INGENVIS MORIBVS. 7

congregauit. Simul & quòd superabun-  
dat in eis calor ac sanguis, non modò in  
nutrimentum corporis, sed & in aug-  
mentum etiam, quod contrà fit in seni-  
bus, cõtraria id efficiente ratione. Quem  
igitur eum speremus futurum senem,  
qui sit in adolescẽtia tenax atq; auarus?  
non quidem quo permittendæ sint eis  
largitiones, quas exercere cum discreti-  
one munerum, personarum, merito-  
rumq; nesciunt, sed corruptæ naturæ  
atq; illiberalis ingenij sit indicium. Hi  
igitur ad quæstuosas artes faciunt, aut  
manuale opus, aut negociationem, et ad  
curam rei familiaris, præcipuè qui, etsi  
nobiliores fuerint quandoq; artes asse-  
cuti, illas tamen semper, vt cætera, ad  
ignobilem quæstum redigunt: quæ quis-  
dem res est ab ingenuis mentibus pror-  
sus aliena. Deinde sunt bonæ spei, mul-  
taq; ac magna sibi facile promittunt,  
ac præ cæteris longæuam ætatem, vt  
quibus exuperat naturalis calor, tanq;   
ad omne opus & in omne tempus suffe-  
cturis. Ac propter hoc ipsum magnani-  
mi sunt



PETRI PAULI VERGERII

mi sunt & alti cordis, quoniam est ea uis calidi, ut sursum ferat: unde fit ut sit arrogantes, & iuxta Flaccum, monitoribus suis asperi, & contumeliosi alijs, se ipsos efferentes: appetunt enim excellere, propter quod volentes videri multa nosse, faciles sunt operata reuelare, & se ipsos iactantes plerumque mendaces inueniuntur. Simul et quia inexperti sunt, existimantes vera dicere, in plurimis falluntur. Ab hac autem mentiendi vanitate deterrendi sunt maxime. Primum, quod assueti in iuuentute mentiri, morem hunc viri seruant, quo nihil est turpius: Deinde quod propè nihil æquè maiores offendit, quàm mendacia adolescentum, qui studeant pridie nati, senes fallacijs circumuenire. Proderit autem, si admoneantur parum loqui, & rarò, nisi iustos, dicere. In multo namque sermone est aliquid semper quod reprehendi possit. Quod si in alterutro est peccandum, multò sanè tutius est tacere quàm loqui. Nam qui intempestiue tacet, hoc in vno peccat, quod ta-



eet: loquendo autem, in multis errare  
 contingit. Prouidendum etiam, ne foedis atq; inhonestis sermonibus assue-  
 scant. Nam ut est à Græco poëta dictū,  
 & ab Apostolo Paulo repetitum: Cor-  
 rumpunt bonos mores colloquia mala.  
 Secundū superiorem aut rationem, quo-  
 niam sunt excellentię cupidi, sunt etiam  
 verecundi: quoniam inhonorati metu-  
 unt, & castigationes parentum magis  
 strictę ex recenti meminerunt: simul &  
 quoniam inexperti sunt, facile refelli se  
 posse arbitrantur. Sunt item creduli nis-  
 mis: ex defectu namq; experientię re-  
 rum, uera credunt esse quæcunq; audis-  
 unt, atq; etiam de facili mutant opinio-  
 nes, quoniam sunt eorum humores in-  
 motu propter augmentum corporis: &  
 abundat calor, qui maxime ad motio-  
 nes facit. Anima uerò complexionem  
 sequitur corporis: ideoq; ut facile ca-  
 rentes concupiscunt, ita potius satians-  
 tur citò. Passiones uerò suas maxi-  
 mē prosequuntur, & omnia faciunt  
 valde; quoniam concupiscentias ha-  
 bens



PETRI PAULI VERGERII.

bentacutas, quas calor incitat: neq; vi-  
gent ratione et prudentia, quæ illas mo-  
derari possint. Ego verò iuxta Teren-  
tianum Soliam, non iniuria id arbitror  
apprime in vita esse vtile, vt commodè  
fiant omnia, ac, ne quid nimis. Sunt quo-  
que miseratiui, nec maligni moris, quo-  
niam ab generatione proximi sunt, be-  
nignum habentes sanguinem, ceterosq;  
ex se existimant, quòd pauca commise-  
runt, quamobrem eos credunt iniustè  
pati. Maximè verò gaudent amicitijs,  
& sodalitates amant, quas plerunq; eas-  
dem die & ineunt & dirimunt. Iuxta  
has igitur animaduersiones erit adhi-  
benda doctrina, & boni quidem mores  
asciscendi, mali verò aut minuendi, aut  
prorsus eradicandi erunt. Et de cura  
quidem iuuenum cum plurimum do-  
mesticæ disciplinæ permissum sit, non  
nulla tamen solent legibus diffiniri. de-  
berent autem, vt ferè dixerim, omnia.  
Nam & Reipub. interest, iuventutem  
in ciuitatibus bene moratam esse, & si  
fuerint adolescentes ratione instituti, es-  
rit



rit id quidem vtile & ciuitatibus, & ip-  
 sis bonum. Maximè verò ( vt specialis  
 us dicamus) ab his peccatis prohibendū  
 sunt, in quæ facile natura, ab ipsa ætate  
 deducuntur, habent enim & ætates sua  
 propria quædam vitia. Adolescentia li-  
 bidinibus æstuat. Aetas media ambitio-  
 ne iactatur. Senectus cupiditate aua-  
 ritiaq; consumitur, non quòd ita omnes  
 habeant, sed quòd in hæc vitia ex ætate  
 proniores sunt homines. Curandum est  
 igitur, vt iuuenes quàm maximè diu in-  
 tegri seruentur. Immatura namq; Ve-  
 nus, & animi & corporis vires eneruat.  
 Quod erit, si à choreis cæterisque huius-  
 cemodi ludis, & item ab omni muliebrā  
 frequentia arceantur: aut si nihil de his  
 rebus loquantur, aut audiant. Nam  
 cum ipsi per se ætatis feruore ad vene-  
 rea rapiantur, nulla erit spes reliqua, si  
 malignus quoq; consilio comes accesserit.  
 Præcipuè verò, si nunquam ipsi erūt  
 ociosi, sed semper in aliquo honesto  
 membrorum aut animi labore detine-  
 antur, Ocium enim ad libidines, & ad

C omnem



PETRI PAULI VERGERII

omnem intemperantiam pronos efficit,  
Itaq; adolescentes nimia sospitate labo-  
rantes, multo conueniet labore sanari.  
Nec verò his ocium tantum, sed & soli-  
tudo quoq; vehementer est inimica,  
quæ infirmum animum assidua talium  
rerum cogitatione demulcet, nec aliò  
diuertit. Vt enim qui desperatione  
tenentur, solitudini minimè credendi  
sunt: ita & quibus voluptate deuinctus  
est animus. Itaq; & ab omni fœditate ac  
nefaria turpitudine & prohibendi sunt,  
& magnopere custodiendi: nec nisi his  
committendi, quorum mores & vita  
omnis perfectâ sit, quorumq; non iam  
exemplo peccent, sed autoritate deter-  
reantur. Quemadmodum enim teneris  
arborum virgulis stipites alligantur, ne  
aut propria mole, aut vi vlla ventorum  
deflecti possint: ita & iuuenibus adhi-  
bendi sunt comites, quorum monitis  
discant, & conscientia retrahantur, &  
imitatione proficiant. Continendi sunt  
etiam, ne in alijs quæ sunt circa vitam,  
immoderatiores fiant. Nam superflue  
us cibus



us cibus ac potus, & somni abundantiores, ex consuetudine magis sunt: non quo varijs habitudinibus corporum plus minusuè deberi ex his rebus negem, sed quòd in omnibus hominibus natura paucis adiumentis contenta sit, si necessitatem spectemus: si voluptatem, nihil illi possit videri satis. A vino verò in ea ætate maximè sunt arcendi: cuius nimius vsus & valetudini bonæ inimicus est. et rectæ rationis usum magnopere perturbat. Qua in re nequaquam mihi videtur improbanda Lacedæmoniorum ratio, qui ebrios seruos exhiberi in conuiujs suis curabant: non quidem vt eorum insulsis sermonibus aut foedis actibus delectarentur (nam inhumana voluptas est, damno hominis aut vitio delectari hominem) sed vt adolescentibus suis exemplo ostenderent, quàm esset turpe temulentum videri. Sunt igitur, vt ab annis teneris assuescant, ita potandi pueri, vt illis magis aqua temperetur, quàm



PETRI PAULI VERGERII.

lymphetur vinum : & tam sobriè quis-  
dem ac rarò , vt magis ad molliendum  
cibum quàm ad minuendam sitim da-  
tus potus videatur . Neq; enim decet,  
quod non modò ad virtutem, sed ad bon-  
nam quoq; valetudinem pertinet, ven-  
tre cibum potumue metiri, aut hybernis  
noctibus somnos æquare, aut voluptas-  
tibus modum satietate præfinire, sed ra-  
tione moderari omnia , & ita assuefieri,  
vt iuueniles impetus facilè frenare pos-  
simus : arbitrariq; non omne quod per  
potentiam vel occasionem facere liceat,  
decere vt faciamus . Ante omnia verò  
decet bene institutum adolescentem, rei  
diuinæ curam respectumq; non negli-  
gere, eaq; opinione imbui ab ineunte æ-  
tate . Nam quid erit illi inter homines  
sanctum, cui diuinitas despecta sit? Nec  
verò vsq; ad aniles decet superstitiones  
prouehi, quod in ea ætate damnari plu-  
rimum solet , & irrisioni patère : sed ad  
certum modum . Quanquam quis mo-  
dus adhiberi in ea re potest, in qua omne  
quod possumus, infra modum est : Præ-  
cipue



cipuè verò, quod in omni ætate abomi-  
 nabile est, monendi sunt, non execrari  
 diuina, neq; sacra nomina irrisioni ha-  
 bere, neq; sponte facile iurare. Nam qui  
 temerè iurant, crebrò peierare consue-  
 uerunt. Proximè autem senibus ac ma-  
 ioribus natu plurimum reuerentiæ ad-  
 hiberi conuenit, eosq; parentum propè  
 loco existimare. In quo erat Romana  
 iuuentus vetusto more præclarè insti-  
 tuta, quæ Senatores, quos Patres appella-  
 bant, qua die haberetur Senatus, de-  
 ducebant ad curiam, ibiq; assidui præ-  
 foribus aderant, dimissoq; Senatu redue-  
 cebant frequentes domum, quæ nimis  
 erant rudimenta constantiæ pati-  
 entiaq; in prouectiori ætate præstan-  
 da. Qui ergo iuuenes libenter senibus  
 hæret, nec ab his facile discedunt, à qui-  
 bus proficere possunt, hi non temerè  
 velle videntur ætatem virtute præue-  
 nire. Instituendi sunt præterea, quo pa-  
 cto deceat admittere venientes, quoq;  
 abeuntes dimittere: vt oporteat vere-  
 cundè salutare maiores, minores huma-



PETRI PAULI VERGERII

niter colligere, amicos beneuolosq; familiariter conuenire. Quæ cum in omnibus aptè sedeant, tum vero in principibus & eorum liberis speciosa videntur, & notantur in his maxime, in quorum moribus atq; omni vita facilitas quidem amari solet, grauitas verò laudari. Vtrobicq; tamen verendum est, ne vel hæc in agrestem seueritatem: aut illa in scurrilem leuitatem exeat. Hæc autem ita consequi poterunt, si se facile quisq; argui moneriq; patiatur: quæ ratio in omni ætate & causa atq; conditione salutaris est. Nam vt obiecto speculo faciei nostræ mendas cognoscimus, ita & castigantibus amicis errores perpendimus animi: qui proximus est ad emendationem locus. Hi autem facillime deceptioni patent, qui nihil audire possunt quod contristet. Imbecillis est enim stomachi ferre nisi delicata non posse. Decet itaq; & maledicentes pati posse, & obiurgantes audire. Nam qui se non patitur præsentem argui, non facile solet, cum est absens, defendi. Verum eos  
maxis



maximè qui sublimiore sunt fortuna, & in quorum manibus vrbium populorumq; ius est, decet non modò facile, sed etiam libenter bene monentes audire, quanto & ipsi per multam licentiam proniores sunt ad peccandum, et eorum peccata obesse pluribus solent. Ac eo quidem magis curandum, quòd pauci sunt qui dicere eis quod verũ decensq; sit, audeant: pauciores, qui velint audire. Nam qui vult verum audire, facile inuenit à quo audiat. Itaq; mirum videri potest, si sit quispiam bonus aut sapiens, in potenti statu ac magnis fortunis natus, nec aduersum vnquam casum expertus: & si quis hic eiusmodi, hunc pro quodam quasi terreno Deo amandum colendumq; existimo. Quippe cum inter affluentiam rerum ad omnes voluptates suppetentium, & facultatem assequendi quaecunq; cupierint, & adulatorum ingentem copiam, qui solent ex stultis insanos facere, vix rationi ac recto iudicio vacat vspiã locus.



Id pulchrè Plato sentiebat, & commodè paucis verbis significauit: quem nos locum huc ad verbum ex Gorgia transferamus. Difficile est enim, inquit, & plurima laude dignum, in magna peccandi licentia iustè vixisse. Sed et nimia quoque parentum indulgentia emollire atque enervare adolescentes consuevit: quod in his plerumque manifestum est, qui sub viduis matribus per delicias sunt enutriti. Placet igitur quæ est apud quosdam gentium consuetudo, ut liberos suos aut extra ciuitatem, aut certè extra domum apud cognatos suos amicosuè educari curent: quos etsi plerumque indulgentiores inuenerint, hoc ipsum tamen quòd in aliena domo viuere se intelligunt, solutiorem illis licentiam adimit, & melioribus studijs, quæ Liberalia dicimus, intentiores reddit: de quibus tempus est iam nos dicere.

Quæ sunt liberalia studia, quibus institui adolescentes debeant.

Libe.



**L**iberalia igitur studia vocamus, quæ  
 sunt homine libero digna: ea scilicet,  
 quibus virtus ac sapientia aut exer-  
 cetur, aut colitur, quibusque corpus aut  
 animus ad optima quæque disponitur:  
 unde honor & gloria hominibus quæri  
 solet, quæ sunt sapienti prima post vir-  
 tutem proposita præmia. Nam ut illis  
 liberalibus ingenij lucrum & voluptas  
 pro fine statuitur, ita ingenuis virtus &  
 gloria. Oportet igitur à prima infantia  
 his intendere, & ad sapientiam omni stu-  
 dio conari. Nam si nulla est priuatarum  
 artium, etiam earum quæ minus acu-  
 minis exigunt, quam excellenter asse-  
 qui quis possit, nisi ab teneris annis illi  
 incubuerit: quid de sapientia iudicabi-  
 mus, quæ tam multis magnisque rebus  
 constat, & in qua artes totius vitæ, præ-  
 cepta, rationesque continentur? Non eris-  
 mus profecto ( quoniam sapientes &  
 haberi & esse omnes volumus) non eris-  
 mus, inquam in senectute sapientes, nisi  
 iuuenes primum bene sapere cœperi-  
 mus. Nec verò suscipiendum est, quod

C v omni-



PETRI PAULI VERGERII

omnibus penè vulgò vsurpatum est, vt  
existimemus eos qui iuuenes super ætatem rectè sapiant, maiores factos desipere aliquando solere. Quanquam & hoc in quibusdam non abhorreat à physica ratione: quibus cum impuberibus sensus vigeant, crescente post modum ætate marcescunt. Quo in genere rectè est senex quidam ab adolescente confutatus, obscurum est autem vtriusq; nomen. Cum enim is præter ætatem prudens probusq; haberetur, senicq; admiraculum illum ostenderent: Eric igitur (inquit) in senectute demens, qui sic in adolescentia tam sapiens, & ita quidem voce sublata, vt adolescens audiret. Ille verò innati acuminis nihil oblitus, atq; in eum protinus conuersus, Tu ergo (inquit) præclare in adolescentia sapiens extitisti, suisq; illum (vt aiunt) armis confodit. Et est quidem ex natura in plerisq; iuuenibus tanta ingenij celeritas ad intelligendum, & ad inuestigandum tantum acumen, vt vel sine multa doctrina de rebus maximis loqui possis,



possint, sententiasq; dicere grauissimas: quorum ingenita vis si eruditione corroboretur, iuueturq; disciplina, summos viros parere ea res solet. Vt igitur n̄ diligenter curandi sunt, ita non negligendi qui mediocri valent ingenio: quin uel hoc potius iuuandi, quod est in eis uis naturæ defectior. Omnes tamē à pueris sia studijs laboribusq; mancipandi sunt,

Dum faciles animi iuuenum, dū mobilis ætas: ut est Maronis uersus. Atq; eo magis tunc insistendū, quo ætas illa eruditioni aptior est, quàm cæteræ, quanq; in omni ætate discendum est: nisi fortasse turpius aliquando est discere, q̄ nescire. Quodq; cōtrā iudicauit Cato ille Porciæ familie princeps, qui Latinas literas prope senex, Græcas iā certè senex edidicit: nec credidit seni turpe discere, qd esset pulchrū homini scire. Socrates etiā, tantus philosophus, iam etate prouecta fidiabus operā dedit, digitosq; suos magistro formandos commisit, cū nostros interea iuuenes, si placet deo, pre mollitie discere pigeat, & uix dū ab lactatos pudeat sub  
magistro



PETRI PAULI VERGERII.

magistro esse: qui tamen iudicio proprio minimè committendi sunt, sed varijs artibus ad bona rectaq; studia inducendi. Nam alij quidem laude & per speciem honoris, alij munusculis blanditijsq; alliciendi: minis alij flagellisq; cogendi erunt. Atq; hæc quidem omnia ita ritè pensanda, rationeq; moderanda, ut & in eodem ingenio vicissim his artibus præceptores utantur: & cauendum, ut neq; nimium illis faciles, neq; nimium seueri sint, Nam ut nimia licentia bonam indolem soluit, ita grauis & assidua castigatio ingenij vim eneruat, naturæq; igniculos in pueris extinguit: qui dum timent omnia, audere nihil possunt: fitq; ut penè semper errēt, dum in singulis rebus errare se timent. Maxime verò in quibus superabundat nigra cholera, laxius continendi erunt: eosq; plurimum suo arbitrio permitti conueniet, et libertate iocisq; oblectari: in quo genere complexionis, nō omnes (quod Aristoteles voluit) sed plurimi certè ingeniosiores sunt. Verum euenit, ut ple-

riq;



ricq; ingenio liberali præditi, dum recta  
 studia sequi contendunt, aut manu inie-  
 cta reuocantur, aut quibusdam opposi-  
 tis quasi repagulis in ipso cursu subsiste-  
 re coguntur, aut aliò diuertuntur. Plus-  
 rimis enim angustia rei familiaris impes-  
 dimento fuit, quæ liberum animum, &  
 ad meliora natum, quæstui coegit inser-  
 uire. Tamen si per extremas difficultates  
 generosa natura solet in altum emerge-  
 re: & magis profusa rerum copia, quàm  
 summa inopia, bonis ingenijs nocere cons-  
 suevit: cum de his non sine indignatio-  
 ne dici soleat, O quàm magnus hic erat  
 futurus vir, si in minoribus esset fortu-  
 nis natus. Quibusdam parentum impes-  
 rium, & ab infantia suscepta consuetu-  
 do obstitit. Nam & quod minoribus no-  
 bis consuetum est, facile id maiores facti  
 sequi solemus: & pueri libenter paren-  
 tum studijs, quibus innati atq; innutris-  
 ti sunt, dari se patiuntur. Sed & id quod  
 est in ciuitatibus consuetum, plurimum  
 sequimur: tanquam sit id optimum fa-  
 ctu, quod cæteri & probant, & faciunt.

Ergo



PETRI PAULI VERGERII

Ergo difficillima omnium est ea delibe-  
ratio: nam aut libera non est, aut ad eam  
non nisi falsis opinionibus imbuti, ex  
mala consuetudine et hominum peruerso  
sermone venimus. Datum tamen est  
quibusdam munere Dei singulari, ut  
ipsi per se rectam viam sine vlllo duce &  
inire, & tenere potuerint: paucis illis  
quidem, & quos æquus ( ut ait Poëta )  
Iupiter ameuit, aut etiam genuit, ut fas-  
bulis quoq; aliquid demus. Qualem in  
primis Herculem accepimus, quod &  
Græci tradunt, & Latini post eos me-  
minerunt. Hic enim cum duas cerneret  
vias, vnam Virtutis, alteram Voluptas-  
tis, fortê id ætatis agens, quando de to-  
ta vita deliberatio sumenda est, in solis-  
tudinem secessit: ibiq; multum ac diu se-  
cum cogitans ( ut est ea ætas imbecilli  
iudicio consilioq; ) virtutem tandem re-  
iecta voluptate complexus est. Vnde  
sibi per multos ac graues labores, opi-  
nionem hominum, iter in cœlum extrux-  
ti, ita igitur ille, Nobiscum autem bene  
agitur,



agitur, si præceptis manuq; deducimur,  
 vt probi simus; aut si qua vi etiam nec-  
 cessitateq; ad id cogamur. Est enim foe-  
 lix necessitas, quæ cogit ad bonū. Quan-  
 quam & tibi quoq; Vbertine, id video  
 in parte contigisse. Cum enim sint ex  
 studijs atq; artibus hominum duæ præ-  
 cipuè, quæ & ad excolendam virtutem,  
 & ad parandam gloriam maximè sunt  
 affines, Armorum videlicet ac Literarum  
 disciplina: liceretq; tibi per parens  
 tis indulgentiam solam militarem, quæ  
 familiæ vestræ propè peculiaris est, per-  
 sequi: tu vtramq; ita es & industria &  
 studio tenaciter complexus, vt æqualis  
 bus tuis longo interuallo posthabitis,  
 cum maioribus quoq; certare in vtroq;  
 laudis genere possis. Probè igitur fas-  
 cis, qui & militarem disciplinam, in  
 qua semper tui maiores excelluerunt,  
 non negligis: & ad veterem hanc do-  
 mesticam gloriam, nouam etiam lite-  
 rarum laudem adiungere tentasti. Aequè  
 enim imitari eos studes. Est autem ho-  
 rum nostris temporibus turba ingens,  
 qui



qui sibi opinionem doctrinae ut dede-  
 cus abhorrent : aut Licinij quondam  
 Romanorum imperatoris sententiam  
 probant, qui literas virus ac pestem pub-  
 licam appellabat. Multo magis, quod il-  
 le ait, beatas fore respublicas, si vel stu-  
 diosi eas sapientiae regerent, vel earum  
 rectores studere sapientiae contigisset.  
 Et quidem quod verum est, literarum  
 disciplinae neque dementiam adimunt,  
 neque malignitatem, quin magis ut eos  
 qui ad virtutem et sapientiam nati sunt,  
 magnopere adiuuant: ita persaepe sunt  
 aut indicia stulticiae detegenda, aut in-  
 strumenta perniciosioris iniuriae. Nam  
 & Claudium ( ne a Romanis principibus  
 discedamus ) sane doctum accepimus:  
 & Neronem eius priuignum, atque  
 in principatu successorem, eruditum in  
 primis fuisse constat, quorum prior in-  
 signis vae cordiae fuit, alter crudelitate  
 atque omnibus flagitijs contaminatus.  
 Qui tamen sub obtentu dementiae, dixit  
 aliquando optare se literas nescire:  
 quod & optandum illi profectio fuerat,  
 si modo



Si modò non alia ratione quàm literarum  
 ignarus, esse demens potuisset. Sed  
 opinor eum, si & literas quoq;, quæ ma-  
 le apud se habitabāt, eijcere sibi prorsus  
 licuisset; tam maturè ac libenter factu-  
 rum fuisse, quàm illam simulatam ad  
 tempus dementiam exuit, ne cui virtu-  
 tum ac bonarum artium reliquus in se  
 locus esset. Contrà uerò Iacobus de Ca-  
 raria proauus tuus, & prudens vir, &  
 princeps magnanimus, ipse quidem non  
 magnopere doctus, mirum tamen in  
 modum doctos coluit: ut id vnum for-  
 tunæ suæ defuisse iudicaret, quòd non  
 esset, quantum modestum hominem  
 optare liceat, eruditus. Et in senes-  
 ctute quidem optare licet, consequi  
 uerò non facile, nisi ab initio ætatis stu-  
 dio laboreq; nobis doctrinam paraueris-  
 mus. Paranda sunt igitur in iuuentute  
 solatia, quæ honestam senectutem pos-  
 sint oblectare. Nam quæ sunt iuuentuti  
 laboriosa studia, ea erunt iucunda ocia  
 senectuti. Et sunt in hac re sanè magna  
 præsidia, siue contra languidum torpo-

D rem



PETRI PAULI VERGERII.

rem remedium quaerimus, siue sollicitis  
occupationibus solatium. Nam cum  
duo sint genera vitae, liberalis vnum,  
quod totum in ocio ac speculatione est:  
alterum, quod in actione negotioq; con-  
sistit: in priore quidem quam sit neces-  
saria cognitio vsusq; scripturarum, ne-  
minem existimandum est latere: in po-  
steriore vero quam sit utilis, facile hinc  
dignosci potest. Nam qui ad res geren-  
das animum applicant, omitto quan-  
tum & praecipis illorum qui scripse-  
runt, & eorum exemplis de quibus scri-  
bitur, prudentiores fieri possunt: sed si-  
ue Rempublicam administrant, siue  
foris in bellis, aut domi in suis amico-  
rumq; negocijs versentur, non habent  
fatigati, qua alia in re iucundius acquie-  
scere valeant. Cum etiam incidant  
tempora & horae, in quibus ab huius-  
modi rebus vacare necesse est. Nam &  
a Republica saepe inuiti prohibemur, &  
non semper geruntur bella, & singuli  
dies noctesq; aliquid habent, quo domi  
contineri, et esse seorsum oportet, In hoc  
igitur



igitur tempus ( cum nihil nobis per ocium agere foris licebit ) lectio libriq; succurrent: nisi prorsus somno indulgere, aut inertio ocio tabescere volumus: aut morem imitari Domitiani principis, qui singulis diebus, certis horis, secretus ab omnibus, stylo ferreo muscas insectabatur. Fuit hic quidem Vespasiani filius, Titi verò minor natu frater: utriq; profectò longe impar: imò verò tanto omnium teterrimus, quanto Titus probatissimus est omnium habitus: quem historiae, delicias humani generis appellauere. Itaq; & eius memoria tam celebris est, quam illius execrabilis. Libero etenim iudicio de rebus vitaq; hominum posteritas vitur, quæ nec vituperare improbos metuit, nec laudes inuidet benemeritis, Qua quidem in re magna est ( vt uidemus ) prærogatiua principibus, imò verò ( propè dixerim ) necessitas proposita bene gerendarum rerum, si iudicium humanum, & famæ apud posteros æternitatem spectare velint. Nam in cæteris



PETRI PAULI VERGERII.

quidem humilioribus, magna vi ac virtute opus est, vt in lucem emergant, & eorum peccata suæ sortis obscuritate tegantur: in principibus verò & magnis viris probitas, siue quòd rara sit in multa fortuna, ac propterea magis admirationi habetur, siue quòd ex fortunæ splendore magis illustretur: ea vel si modica est, præclara atq; insignis habetur: malefacta autem nec latere, quàmuis secreta, possunt, nec cognita diu taceri. Illi enim ipsi qui aut ministri sunt voluptatum, aut socij criminum conscijq; factorum, efferunt, & primi damnant. Quo in genere eius ipsius Domitiani dementiam è cubicularijs vnus urbano scommate notauit. Aliquando enim interrogatus, esset nè quisquam cum Domitiano intus: respondit, Ne musca quidem: quasi ille studio suo omnes sustulisset. Huic eius occupationi tam indecoræ venia fortè posset indulgeri, si modò constaret quid nam per hyemem solus agere consueuisset: aut si non maiore odio ex cæteris facinoribus, quàm ex  
hoc



hoc aucupio tam foedo irrisione se dignum præbuisset, Nam quod Scipio dicere de se solebat, Nunquam minus solum aut ociosum esse, quam cum ociosus aut solus videretur: non facile cuius potest contingere, sed solis magnis ingenijs atq; excellenti virtute præditis, tametsi nihilo mihi videtur minor, qui contra & in turba solitudinem seruare potest, & in negotio quietem; quod de Catone quidem scriptum est, qui interea dum Senatus cogeretur, lectitare in curia libros frequens solebat. Vnde nimirum & in rem præsentem, & in omne tempus saluberrima patriæ consilia dictabat. Quòd si præterea alius nullus ex literarum studijs fructus haberetur, qui utiq; & plurimi sunt, & maximi: satis tamen abunde magni videri debet res momenti, quòd interea dum attenti legimus, à plerisque auocamur, quæ non possemus aut sine turpitudine cogitare, aut reminisci sine molestia. Nam si quid est aut in nobis ipsis, aut in fortuna nostra, quod nos offendat, hac facile ratio:

D iij ne



PETRI PAULI VERGERII

ne leuamur, præter id quòd mirabiles voluptates in animis hominum doctri-  
narum studia pariunt, & vberrimos af-  
ferunt in tempore fructus, si quando in  
bonam mentem & ei culturæ idoneam  
tale semen inciderit. Ergo cum soli su-  
mus, ab omnibus & cæteris curis vacui,  
quid agere melius possumus, quàm li-  
bros conuenire, vbi sunt omnia vel æ-  
mœnissima ad cognoscendum, vel ad  
bene sancteque viuendum efficacissima.  
Nam cum ad cætera quidem plurimum  
valent, tum verò maximè ad saluandam  
vetustatis memoriam necessaria sunt  
monumenta literarum, quibus res ho-  
minum gestæ, fortunæ euentus inspe-  
rati, naturæ insolita opera, & super his  
omnibus rationes temporum continen-  
tur. Memoria etenim hominū, & quod  
transmittitur per manus, sensim elabi-  
tur, et vix vnus hominis æuum exupe-  
rat. Quod autem libris bene mandatum  
est, perpetuo manet: nisi pictura forsitan,  
aut excisio marmorū, aut fusio me-  
tallorum, potest etiam tale quiddā præ-  
stare.



stare. Verum ea nec signant tempora,  
 nec facile varietatem indicant motionū,  
 & exteriorem tantum habitum expris-  
 mūt, ac labefactari facile possunt. Quod  
 aut literis traditur, non modò hæc quæ  
 dicta sunt efficit, sed & sermones quoq;  
 notat, & cogitatus hominum effingit: ac  
 si quid pluribus exemplaribus vulgatum  
 est, non facile potest interire, si modò &  
 dignitas accedat orationi. Nam quæ  
 sine dignitate scribuntur, ea nec fortis-  
 untur fidem, nec subsistere diu possunt.  
 Quæ igitur potest esse vita iucundior,  
 aut certe commodior, quàm legere  
 semper, aut scribere, & nouas quidem  
 existentes res antiquitatis cognoscere,  
 præsentibus verò cum posteris loqui, atq;  
 ita omne tempus quod & præteritum  
 est, & futurum, nostrum facere? O  
 præclaram suppellectilem librorum in-  
 quam ( vt nos ) & ô iucundam fami-  
 liam ( vt rectè Cicero appellat ) utiq;  
 & frugi & bene morigeram. Non enim  
 obstrepit, non inclamat, non est ras-  
 pax, non vorax, non contumax. iussi lo-

D. iij. quuntur.



quuntur, et iterum iussi tacent, semperque  
 ad omne imperium præsto sunt, à qui-  
 bus nihil vnquam nisi quod velis &  
 quantum velis audias. Eos igitur (quo-  
 niam nostra memoria non est omnium  
 capax, ac paucorum quidem tenax, &  
 vix ad singula sufficit) secundæ memo-  
 riæ loco habendos asseruandosque cen-  
 seo. Nam sunt literæ quidem ac libri,  
 certa rerum memoria, & scilium omni-  
 um communis apotheca. Idque curare de-  
 bemus, vt quos à prioribus accepimus,  
 si nihil ipsi ex nobis gignere fortè pos-  
 sumus, integros atque incorruptos poste-  
 ritati transmittamus: eoque pacto & his  
 qui post nos futuri sunt, vtiliter consu-  
 lemus: & his qui præterierunt, vel vnã  
 hanc suorum laborum mercedem re-  
 pensabimus. In quo iustè forsitan possu-  
 mus quoddam seculum proximasque su-  
 periores ætates accusare. Indignari qui-  
 dem licet, proficere autem nihil, quòd  
 tam multa illustrium autorum præclara  
 opera deperire passi sunt. Et quorundam  
 quidem nomina sola summis cum laudi-  
 bus



bus ornata, aliorum etiam pars vigilia-  
 rum & fragmenta quaedam operum ad  
 nos peruenerunt. Vnde fit, vt ex splen-  
 dore laudum ac nominis, opera deside-  
 remus illorum, horum verò reliquos la-  
 bores deperisse indignemur, ex earum  
 ferum quæ superant adhuc, excellentia  
 ac dignitate: tametsi ea ipsa in plerisque  
 partium suarum tam vitiose corrupta,  
 quaedam etiam intercisâ ac mutilata sus-  
 ceperimus, vt penè melius fuerit ex his  
 nihil ad nos peruenisse. Sed in hac iactu-  
 ra, quæ maxima est, non debet id mini-  
 mum uideri, quòd res plurimas nostras,  
 atque Italiae facta, cognitione dignissima  
 pro magna parte latere nos contingit,  
 quorum notitia cum libris simul ac mo-  
 numentis eorum perijt. Sicque qui bar-  
 barorum res gestas nouimus, plerasque  
 ex nostris casu librorum ignoramus. Et  
 est eò deuentum, vt latinæ quoque histo-  
 riæ & cognitionem & fidem à Græcis  
 autoribus exigamus. Plurima namque ta-  
 lium quæ apud nos sunt aut angustè  
 præscripta, aut prorsus incognita, latè a-

D v pud



PETRI PAULI VERGERII

puđ eos reperiuntur diffusa: quanquam  
et ea ipsa Gręca oratio, quę nostris ma-  
ioribus esse quondam domestica ac per-  
familiaris solebat, apud suos penę inte-  
rjť: apud nos vero prorsus extincta est,  
nisi pauci quidam, qui hac ætate illi in-  
cubuerunt, eam ę sepulchro in lucem re-  
uocent. Sed redeo ad historiam, cuius e-  
grauior est iactura, qu-  
o eius rei cognis-  
tio & utilior est ac iucundior. Nam li-  
beralibus quidem ingenjjs, & his qui in  
publicis rebus & hominum communia-  
tate versari debent, c-  
onvenientiora sunt,  
historię noticia, & moralis philosophię  
studium. Cęterę quidem enim artium,  
Liberales dicuntur, quia liberos homi-  
nes deceant. Philosophia ver-  
o iccirco  
est liberalis, qu-  
od eius studium liberos  
homines efficit. In horum igitur altero  
precepta, quid sequi, quidue fugere con-  
ueniat, in altero exempla inuenimus. In  
illa enim omnium hominum officia re-  
periuntur, & quid quęque deceat: in  
hac ver-  
o quid factum dictumue sit, suis  
quodque temporibus adijciendum est.

Ad hęc



Ad hæc ( ni fallor ) tertium , id est eloquentiam , quæ civilis scientiæ quædam pars est . Per Philosophiam siquidem possumus rectè sentire , quod est in omni re primum : per eloquentiam graviter ornateq; dicere , qua vna re maximè conciliantur multitudinis animi . Per historiam verò in utrunq; iuuamur . Nam si senes iccirco prudentiores iudicamus , eosq; libenter audimus , quòd per longam vitam & in se multa experti sunt , & in alijs pleracq; viderunt atq; audierunt : quid de his est iudicandum , qui multorum seculorum res cognitu dignas memoriter norunt , & ad omnem casum proferre illustre aliquod exemplum possunt : Ex quibus id efficitur , quod est summi viri , & omnino excellentis ingenij , vt & optimè dicere quis possit , et studeat quàm optimè facere . Erant aut quatuor , quæ pueros suos Greci docere cõsueuerunt : literas , luctatiuam , musicam , & designatiuam , quam protractiuam quidam appellant . De luctatiua & mus



PETRI PAULI VERGERII

& musica dicetur postea. Designatiua  
 verò nunc in usu non est pro liberali, nisi  
 si quantum forsitan ad scripturam attineat  
 (scribere nanq̃, & ipsum est protrahere ac designare) quo ad reliqua verò  
 penes pictores resedit. Erat autem non  
 solum utile, sed & honestum quoq̃ huius  
 iusmodi negotium apud eos, vt Aristoteles  
 inquit. Nam & in emptionibus vasorum  
 tabularumq̃ ac statuarum, quibus Græcia  
 maximè delectata est, succurrebant, ne  
 facile decipi præcio possent, & plurimum  
 conferebant ad deprehendendam rerum,  
 quæ natura constant aut arte, pulchritudinem  
 ac venustatem: quibus de rebus pertinet  
 ad magnos viros & loqui inter se, & iudicare  
 posse. Literarum verò magnus est semper  
 fructus, & ad omnem vitam, & ad  
 omne hominum genus: præcipuè verò  
 studiosis earum, vt ad accipiendam doctrinam,  
 ita & ad confirmandum eius habitum,  
 reuocandamq̃ lapsorum memoriam. Ante  
 omnia igitur, si quid proficere de doctrinis  
 uolemus, congrui sermonis



monis habenda est ratio, & curandum ne dum maiora prosequimur, turpiter in minoribus labi videamur. Proximè huic disputandi ratio adhibenda est, per quam in vnaquaq; re quid verum falsumue sit, facile argumentando quærimus. Ea cum sit discendi scientia, sciendiq; disciplina, ad omne doctrinarum genus viam facile aperit. Rhetorica verò, tertia est inter rationales disciplinas, per quam artificiosa quæritur eloquentia, quam et tertiam posuimus inter præcipuas ciuitatis partes. Verum ea cum nobilium hominum studijs celebrari olim consueuisset, nunc penè prorsus obsoleuit. Nam à iudicijs quidem eiecta penitus est, vbi non perpetua oratione, sed inuicem dialectico more adductis in causam legibus contenditur. In quo genere pleriq; quondam ex Romanis adolescentibus magnam gloriam sunt affecti, aut deferendis fontibus reis, aut defendendis infontibus. In deliberatiuo verò genere, iam apud principes & rerum dominos nullus est ei locus: quoniam

am



PETRI PAULI VERGERII

am paucis expediri verbis sententiam  
volunt, & nudas afferrī in consilium ra-  
tiones: in populis, qui vel sine arte copio-  
se dicere possunt, clari habentur. De-  
monstratiuum genus restat, quod ut  
nunquam est usu sublatum, ita vix vs-  
quam ratione inuenitur. Nam in facien-  
dis orationibus, his artibus vtuntur ferē  
omnes, quæ contra artem bene dicendi  
sunt. Quæ cum ita sint, elaborandum  
est tamen, si quem volumus esse bene  
institutum, vt in omni genere causa-  
rum ornatē copioseq; possit ex arte dis-  
cere. Proxima est huic Poetica, cuius stu-  
dium etsi conferre plurimum & ad vitā  
& ad orationem potest, ad delectationē  
tamen magis videtur accommodata.  
Ars verò Musica (nam & ea audien-  
tem delectat) magno quondam apud  
Græcos honore habebatur: nec putaba-  
tur quisquam liberaliter eruditus, nisi  
cantu & fidibus sciret. Quamobrem  
Socrates ut ipse senex didicit, ita inge-  
nuos adolescentes erudiri in his iussit:  
non quidem ad lasciuia incitamentum,  
sed ad



sed ad motus animæ sub regula ratio-  
 neq; moderandos. Vt enim non omnis  
 vox, sed tantum quæ bene consonat, ad  
 soni melodiam facit: ita & motus animæ  
 non omnes, sed qui rationi conueniunt,  
 ad rectam vitæ harmoniam pertinent.  
 Verum cum ad remissionem animi, se-  
 dandasq; passiones plurimum valeat  
 modulationis vsus, tum verò eius disci-  
 plinæ cognitio digna est ingenio libera-  
 li, secundum quam rationem speculas-  
 mur sonorum varias naturas ac pote-  
 states, ex quibus inuicem proportione  
 bus consonantias dissonantiasq; causari  
 contingat. Quemadmodum & de nus-  
 meris ratio, quæ Arithmetica dicta est:  
 & de magnitudinibus, quæ Geometria  
 est appellata, in quibus secundum va-  
 rias relationes parium vel imparium,  
 & item linearum, superficierum, aut  
 corporum, variæ species numerorum  
 magnitudinumq; constituuntur, multa-  
 que his inesse propria demonstran-  
 tur: quæ cognitio iucundissima est, &  
 præcipuam in se certitudinem continet.

Sed



Sed & illa quoque pulcherrima est, quæ de siderum moribus, magnitudinibus, ac distantijs pertractat. Euocat enim nos ab his tenebris & crasso aëre, & in superiorem illam lucidissimam domum tot luminaribus distinctam oculos atque animum inducit. In quam aspicientem, iucundum est & fixarum stellarum imagines discernere, & erraticas suis locis nominibusque denotare, earumque conjunctiones, & item solis lunæque defectus, longe antè præuidere atque prædicere. Maximè verò scientia de natura, intellectui humano consona atque conformis est: per quam naturalium rerum animatarum inanimatarumue principia passionesque, & eorum quæ cælo & mundo continentur, motuum ac transmutationum causas effectusque cognoscimus: ac multorum quidem possumus causas reddere, quæ vulgo miranda videri soleant. Quæ cum omnia iucundum est intelligere, tum maximè negociari circa eas quæ in aëre & circa terram fiunt impressiones, iucundissimum est. Aequè verò



Verò & quæ his annexæ sunt cognitiões, pulcherrimas inquisitiones habent: vt est Perspectiua, & de ponderibus tradita ratio. Et quoniam quidem dicendo hæctenus prouectus sum, reliquas quoq; disciplinarũ attingam. Medicina igitur est & cognitu pulcherrima, & ad salutem corporum commo-  
dissima: verum exercitium habet minime liberale. Legum peritiã publicè priuatimq; utilis est, & magno vbiq; honori habetur. & ipsa quidem à morali Philosophia deriuata est: quemadmodum ab naturali, medicina. Quanquam vt honestum est aut audientibus interpretari, aut in iure disceptantibus de iure consultum aperire: ita est indecorum, tractantes causas, precio conuentioneq; operas venditare. Scientia verò diuina, est de causis altissimis, et rebus quæ sunt semotæ à nostris sensibus, quas intelligentia tantum attingimus. Principales itaq; disciplinas ferè connumerauimus omnes, non quò vnicuiq; omnes necessariò apprehendendæ sint, vt doctus tã-

E dem



PETRI PAULI VERGERII.

dem aut sit aut habeatur: nam & singulae totum sibi hominem vendicare possunt, & vtrunq; est virtutis opus, ut modestas opes, ita & mediocrem posse pati doctrinam: sed ut ad quam quisq; aptissimus erit, eam potissimum amplectatur. Quanquam ita sunt coniunctae doctrinae omnes, ut nulla quaevis, ignoratis prorsus alijs, egregie percipi valeat. Sed ingeniorum diuersa sunt genera: quaedam enim facile inueniunt in vnaquaq; re argumentum & medium, quo suum propositum inferant: quaedam uero tarda sunt ad inueniendum, verum solida ad dijudicandum. Et priores quidem illi, quibus ita ingenium est, ad opponendum aptiores sunt: posteriores uero ad respondendum. Item illi ad poetiam faciunt, & ad rationales scientias: hi uero ad reales. Sunt autem & alij ingenio quidem veloci, lingua uero sermoneq; tardiore: & hi ad compositum sermonem orationemq; rhetoricam ualere videntur. In vtraq; uero imprompti, ad dialecticas disputationes praecclare faciunt.



re faciunt. Quibus autem sermo velocius  
 or est quam ingenium, id est, lingua quis  
 dem sunt prompta, ingenio vero tardus:  
 ad neutrum genus ualeat orationis. Am-  
 plius in quibusdam memoriae vis multa  
 viget: & hi ad cognitionem historiarum  
 multum valent, & comprehendenda le-  
 gum ampla volumina. In quo scire nos  
 oportet, memoriam praeter ingenium  
 valere non multum, ingenium vero si-  
 ne memoria, propè nihil, quantum quis  
 dem ad disciplinas attineat: ad agibilia  
 vero contra, propterea quod mandata  
 scriptis, vice memoriae, acta res agenda  
 que possit. De doctrinis autem non vis  
 demur id scire, quod non memoriter  
 scimus, aut non facile reminisci possu-  
 mus. Sunt praeter ea quibus est vis a-  
 nimae ab sensibilibus & materialibus  
 rebus abstracta, & separatis atque vni-  
 uersalibus apprehendendis aptior: alij  
 contra circa particularia discurrere &  
 negociari sunt proniores: & hi qui-  
 dem ad prudentiam & ad naturalem  
 scientiam, illi vero ad Mathematicas

E ij faciunt,



faciunt, & ad diuina quæ Metaphysica dicitur. Præter hæc autem, cum duplex sit intellectus, speculatiuus & practicus, ut quisque secundum alterum potior erit, ita conuenientia illi studia sequi debebit. Sunt insuper limitata, & quemadmodum in iure dicunt, glebæ ascripta quædam ingenia, quæ cum in cæteris imbecillia sint, in vno tamen aut altero valent eximiè. Ea autem sola sunt illis permittenda, in quibus solis plurimum posse iudicantur. Verum Aristoteles quidem voluit liberalibus scientiis non nimis indulgendum, nec immorandum esse: ad perfectionem quidem, ciuilem hominum vitam negociosamque respectans. Nam qui totus speculationi & literarum illecebris deditus est, is est forsitan sibi ipsi carus: at parum certè utilis vrbi aut princeps est, aut priuatus. Ac de doctrinis quidem & ingenijs, ac vtrorumque generibus ita videtur definiendum: in quibus est id ante omnia animaduertendum, quòd non modò maiora illa præcepta, quæ prouectioribus traduntur,



duntur, sed & prima quoque artium elementa ab optimis præceptoribus accipere conuenit: & ex autoribus librorum, non quibuslibet passim immorari, sed optimis. Qua ratione & Philippus rex Macedonum, primas literas ab Aristotele discere Alexandrum voluit: & veteres Romani suos liberos scholæ mancipantes, in Virgilio primum erudiri curabant, optima utriusque ratione. Nam quod teneris mentibus insitum est, altè radices mittit, nec facile postea vlla vi diuelli potest. Ergo si melioribus in initio assueuerint, illos habebunt præcipuos, et ueluti ducibus semper utentur. Sin verò errores ullos imbiberint, his duplici tempore opus erit: primum ut errores excutiant, ac deinde ut vera præcepta condiscant. Quamobrem Timotheus musicus suo tempore illustris, qui ob multiplicatas in cithara chordas, & nouorum modorum ad inuentionem, Sparta iussus est exulare: ab discipulis quidem qui nihil apud alios profecissent, certam paciscebatur mercedem: ab



PETRI PAULI VERGERII

his verò qui ex alijs quippiam edidice-  
rant, duplam exigebat. In discendo au-  
tem solet esse plerisq; impedimento id,  
quod magno adiuumento esse debuerat,  
multa videlicet cupiditas discendi: qua  
fit, vt dum omnia pariter complecti vo-  
lunt, nihil tenere valeant. Vt enim su-  
perfluus cibus non nutrit, sed stomachũ  
quidem fastidio afficit, reliquum vero  
corpus aggrauat atq; infirmit: ita mul-  
ta rerum copia simul ingesta memoriæ,  
& facile in præsentia elabatur, & in fu-  
turum imbecilliozem vim eius reddit.  
Semper igitur multa legant disciplinæ  
studiosi, sed pauca quotidie deligant,  
quæ decoquere eorum memoria possit:  
sicq; tria aut quatuor, plura uè, ut cuiusq;  
uis erit aut ocium, pro eius diei præci-  
puo lucro seorsum reponant. Alia verò  
legendo id consequentur, vt quæ iam  
didicerunt, meditatione saluent: quæ ue-  
rò nondum, quotidie magis familiaria  
sibi legendo faciant. Huic autem ni-  
miæ sciendi discendiq; cupiditati con-  
iuncta solet esse inordinata quædam curi-  
ositas



riositas inuestigandi. Cum enim multa  
 de singulis asciscere student, varijs vno  
 tempore disciplinis incumbunt, & nunc  
 illac, nunc hac referuntur: aut nunc quie-  
 dem vnā viribus totis amplectuntur,  
 inde verò ad modicum, illa reiecta, ali-  
 am atq; aliam. Quæ res non modò pro-  
 fus inutilis est, sed vchementer etiam  
 damnosa. Nam vt in re est, & prouere-  
 bio dicitur, Acescunt vina quæ sæpius  
 transuasantur. Itaq; immorari vni rei  
 decet, & eam omni studio prosequi, di-  
 sciplinasq; eo ordine capere tentare,  
 quo sunt à suis autoribus traditæ. Nam  
 qui libros inordinatè legunt, nunc à fi-  
 ne facientes initium, nunc media inter-  
 legentes, & quod primum esse debue-  
 rat, postremum accipiunt: hi haud te-  
 merè nihil aliud legendo proficiunt,  
 quàm vt omnia neglexisse videantur.  
 De libris autē qui sunt eiusmodi discipli-  
 næ, ita quidem per multos versari con-  
 uenit, vt meliores semper præcipuos ha-  
 beamus. Nec verò par omnibus labor  
 suscipiendus est sed vnicuiq; pro modo



rationeque ingenij sui. Est enim ( vt si di-  
 xerim ) in quibusdam ingenij quidem  
 acies plumbea , in quibusdam verò fer-  
 rea . Quibus est plumbea , siquidem &  
 obtusa est, parum ad disciplinas valet:  
 quibus verò est ingenij acies acuta qui-  
 dem , sed mollis , & quæ facile retundi  
 possit, hi inter studendum crebris inter-  
 pellationibus indigent : qui nisi primo  
 impetu penetrent quò volunt , quanto  
 dehinc magis intenderint , magis hebe-  
 scunt . Qui verò ferreum sortiti sunt in-  
 genium , siquidem & acutum , his nihil  
 imperuium est , nisi eò perumpere ve-  
 lint, vbi frangi omne necesse est. Sin ve-  
 rò obtusum , assiduo tamen studio diffi-  
 cultates omnes euincunt . Itaque si quid  
 non intellerint , non protinus respu-  
 ant, quod superborum est: aut quod pu-  
 sillis euenit animis, desperent; magis au-  
 tem in intentione perseuerent. Sed & il-  
 lud quoque per plurimum uerum est, acu-  
 tiores ingenio , minus valere memoria:  
 & qui celeriter capiunt, retinent minus.  
 Ad saluandam igitur confirmandamque  
 memoriam,



memoriam, maximè affinis est illa Caetonis ratio, qua vti se dicebat, vt quicquid die egerat, viderat, legerat, vespere commemoraret, tanquam diurni à se negocij rationem exigens, non modò qui negocij, sed & ocij quoq; volebat reddendam esse rationem. Ita igitur & nos omnia quidem, si possumus, reminisci curabimus; si minus, ea saltem quæ præcipua nobis delegimus, tenacius complectemur. Proderit autem & de communibus studijs unà cum sodalibus crebrò conferre: acuit enim ingenium disputatio, linguam erudit, memoriamque confirmat: ac non modò multa disputando discimus, sed & quæ sic discimus, melius scimus, aptius eloquimur, & firmitus recordamur. Sed & alios quoq; docendo quæ didicimus, non parum & ipsi iuuabimur. Optimum namque proficiendi genus est, docere quæ didiceris. Verùm euenit omnibus ferè discētibus, vt si quid ab initio bene profecerint, protinus magna sese de disciplinis consecutos arbitrentur, & iam

E v quis



PETRI PAULI VERGERII

quidem vt docti disputent, sententias  
que suas obnixè tueri velint: quod eis  
plurimum officit. Primus etenim ad di-  
sciplinas gradus est, posse dubitare: nec  
est quicquam discantibus tam inimicus  
cum, quàm vt nimis de propria eruditi-  
one præsumant, aut de ingenio sibi con-  
fidant: quorum alterum discendi curam  
tollit, alterum minuit: sic enim ipsi se fal-  
lunt, in qua re minimè necesse est. Nes-  
minem autem facilius est fallere, quàm  
seipsum: neminem damno maiore decis-  
pimus. Fit autem id ideo, quoniam non-  
dum diuerticula, & anfractus, ac præci-  
pitia, quæ in scientiis latitant, perpẽdere  
inexpertis licuit. Quibus euenit, ut aus-  
de libris pleracq; malè corrigant, quæ be-  
ne per se nequeunt intelligere: aut impe-  
ritiam scriptorum negligentiamuè cul-  
pantes, multa sponte prætereant non in-  
tellecta, verùm eas opiniones studium  
& perseuerantia excutiet. Fient autem  
commodè omnia, si ritè tempora di-  
spensabuntur, si singulis diebus statutas  
horas literis dabimus, neq; vllò nego-  
cio



cio abstrahemur, quò minus aliquid  
 quotidie legamus. Nam si Alexander in  
 castris plurimū lectitare solebat, si Cæsar  
 etiam cum exercitu proficiscens li-  
 bros scribebat: & Augustus Mutinensi  
 bello, rem tantam adortus, semper tamē  
 in castris legere aut scribere, quotidieq;  
 declamitare consueuerat: quid poterit  
 urbano ocio interuenire, quod nos diu  
 prorsus à literarum studijs auocet? Vti-  
 le autem est, vt vel cuiuslibet mini-  
 mi temporis iacturam pro magna de-  
 putemus, & ita temporis, quemadmo-  
 dum & vitæ ac salutis, rationem habeas-  
 mus, vt nihil inutiliter nobis depereat:  
 veluti si inertes horas, & quæ apud  
 cæteros ociosæ sunt, aut studijs leui-  
 oribus dabimus, aut lectione iucun-  
 da transigemus. Bonæ etenim rationis  
 est, ea quoq; bona colligere, quæ solent  
 negligere cæteri: vt si quis super cœ-  
 nam legat, & somnum quidem inter li-  
 bros expectet, aut certè per libros fus-  
 giat, quoniam Phyci obesse ea vi-  
 sui luminibusq; contendunt: quod &  
 verum



verum est, si modò præter modum, id  
 est, aut intentione nimia, aut super mul-  
 tam saturitatem id fiat. Sed et illud quo-  
 que proderit non nihil, si intra bibliote-  
 cas nostras coram atq; in oculis instru-  
 menta hæc constituamus, quibus hor-  
 ras ac tempora metiri solent, vt quasi  
 tempus ipsum fluere labiq; videamus.  
 Et si eis ipsis locis ad nihil aliud, quàm  
 ad quod instituta sunt, vtemur, nullam  
 ibi aut occupationem, aut cogitationem  
 externam admittentes. Hæc autem que  
 dicta sunt, maiore cura ac studio prose-  
 quantur ij, quibus est ingenium ad di-  
 sciplinas aptius, quàm corpus ad bella:  
 quibus vero & ingenium viget, & cor-  
 pus est validum, eos oportet vtriusq;  
 curam habere: & animum quidem ita  
 formare, vt verè possit decernere, & ra-  
 tione velit imperare: corpus uerò et for-  
 titer ferre, et facile parère possit: ac deni-  
 que ita nos totos comparare, vt semper  
 parati simus, non ad inferendam vim,  
 sed ad arcendam iniuriam: aut si vim  
 quoq; adhibere permittitur, non prædæ  
 cupidis



cupiditatisuè gratia , sed pro imperio  
 gloriaq; decertare. Maximè verò prin-  
 cipibus conuenit , in militari disciplina  
 instructos esse : nam eos quidem oportet  
 & pacis & belli artibus abundare, &  
 posse exercitus ducere, & ipsos corpore  
 suo, cum opus fuerit, depugnare. Quod  
 ita esse debere, Alexander qui magnus  
 est cognominatus, vt facto semper, ita  
 verbis sæpe significabat. Nam quoties  
 de Homeri versibus, cuius studiosissi-  
 mus erat, inter amicos ( vt fit ) conten-  
 tio incidisset, quid nam esset ex omni-  
 bus elegantior, illum semper vnum exis-  
 miè præferebat, qui est de Agamemnos-  
 ne scriptus, ἀμφοτέρως βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός  
 τ' αἰχμητής, quasi eundem deceat qui bon-  
 nus est rex, fortem esse etiam pugnato-  
 rem. Exercendum est igitur ab ipsa in-  
 fantia corpus ad militiam, & animus ad  
 patientiam formandus : ac ueluti equos  
 solent, manu deducendus est in stadi-  
 um, ut per puluerem ac sudorem ferre  
 facile solem laboremq; consuescat. Nam  
 vt in arboribus tenues quidem ramus-  
 sculos



PETRI PAULI VERGERII.

sculos persæpe videmus magnam pomorum vim de se natam à primis floribus ad iustam magnitudinem perferre, eoque onere etsi planè quidem flecti, misnimè tamen frangi: quod nisi sensim excreuisset, ualidiores quoque ramos appensum euertaret: ita & homines nisi à pueris primò, ac deinde per omnes ætates patientiæ, laborum & animo et corpore assuescant, si qua postea difficultas rerum immineat, franguntur protinus, neque ferre vim aduersam valent. Quod ipsum & magnorum legislatorum, quos uetustas celebrat, Minois ac Lycurgi autoritas monet. Cretensium quidem ac Lacedæmoniorum leges erudiebant iuuentutem, non modò ad patientiam corporis, sed ad continentiam animi: quos foris educandos exerceri in uenationibus, ac per hæc currere, saltare, esurire, sitire, algere, æstuarèque iubebant, ut sic exercitatis uti faciliè ad militiam posset. Nam deliciae quidem animos hominum corporaque dissoluunt, labor uero confirmat & indurat. Itaque non nisi indurati



Indurati laboribus, durare in laboribus  
 possunt: qui autem ita consuescent, &  
 animo & corpore vtentur facile cum  
 opus erit, ad pericula & difficultates om-  
 nes subeundas. Quo in genere neq; ex  
 veteribus, neq; ex nostris vllum exem-  
 plum illustrius proponere tibi valeo,  
 quàm parentum tuum. Libenter enim,  
 ut ipse vides, maiorum tuorum imagi-  
 nes tibi propono, eosq; crebrò studeo  
 ad memoriam tuam reuocare: quoniam  
 & est in illis quod magnificè sequi vale-  
 as, & domesticis exemplis solent homi-  
 nes magis excitari. Nam vt gloriosum  
 est suos benefaciendo vincere, ita turpe  
 iudicari solet, ab his quorum virtutem  
 honori nobis ducimus, vita moribusq;  
 degenerare. Sed ad parentem tuum re-  
 deo, cui cum innumeræ tribui laudes  
 possint, ipse tamen de se nulla re magis  
 quàm laborum patientia gloriari solet.  
 Est enim (id quod uidemus) ita ad la-  
 bores impiger, & in periculis audax,  
 vt nec molem corporis ferre se vllam,  
 aut esse mortalem genitum arbitra-  
 ri videat



ri videatur. Ex contemptu namque laborum, mortis quoque innascitur contemptus, & crescit audacia; qua ita ille intrepidè quæque difficilia aggreditur, ut nihil metuere credendus sit, præter id forsitan unum, ne seni mori sibi contingat, quod ratione optima sentire mihi videtur. Spectanda est enim semper virtus, & ad facta præclara intendendus est animus, de vita non magnopere curandū. Quisquis enim mundanas res existimatione debita pensabit, facile cognoscet & fructus diu viuendi minores esse, quam ut longa vita expeti magnopere debeat: & casus maiores, quam ut vel breuis sperari possit. Decet igitur & honestè in pace viuentem, & in bello fortiter facientem, cætera quidem æquanimitè ferre: mortem verò, quando cunque adueniat, placidè admittere: plerumque etiam, cum occasio aut necessitas postulat, illi occurrere. Non enim timeri id oportet, ne parum fortè vixerimus; sed ne id ipsum quod vixerimus, parum vixisse videamur. Habet namque omnis ætas, ut

edere



edere magnificum aliquid possit. Scipio, qui postea primus Africanus est appellatus, uixdum pubes, sub patre pro patria aduersus Pœnos militans, cum Annibal Romanos ad Ticinum fudisset: patrem ipsum consulem bellicq; ducem, affectum graui vulnere, & ab hostibus circumuentum, periculo exemisset: sicq; ex qua pugna vix veteranis fugere contigit, Scipio id ætatis, consulem, ducem, ciuem, & patrem non minus pie quàm fortiter faciendo seruauit, cumulatamq; & publico & priuato merito laudem rerulit. Aemilius quoq; Lepidus puer productus in pugnam, eodem congressu & hostem occidit, & ciuem seruauit. In cuius memoriam rei statua illi prætextata ex senatusconsulto in Capitolio posita est, vt & cæteri exemplo accenderentur, & auctori tam præclari in ea ætate operis suus honos haberetur. Sed & tu quoq;, nisi tuas tibi laudes inuiderimus, vtroq; illorum minor ut eras natus, apud Brixiam nuper cum esses in exercitu Germanorum, progredi ausus

F

es in



PETRI PAULI VERGERII.

es in hostes armatus, quantum cetero-  
rum nemo militum offerre se sustinuit.  
Quo quidem facto nescio quibus ma-  
gis, an hostibus admirationi, an verò a-  
micis rubori fueris. Ita igitur à primis  
annis instituendi sunt pueri, vt & aus-  
dere magna possint, & difficilia tolera-  
re. Quid enim est illud de Lacedæmonis  
orum pueris? nam hi quidem de cura es-  
ducationis eorum plurimum apud ve-  
teres commendantur. Quos spiritus gi-  
gnere mos ille debuit? quibus consue-  
tum erat in concertatione æqualium pa-  
tientiam tantam præstare, vt vi deiecti,  
aut casu inter luctandum collapsi, necas-  
si se potius exanimariq; paterentur, q̄  
victos fateri se vellent. Quid enim mis-  
rum? Nam & ad aram sic verberibus  
accipi solebant, vt multus semper è cor-  
pore sanguis flueret, plerunq; etiam spis-  
ritum exhalarent: nemo tamen aut ex-  
clamauit vnquam, aut vix minimum  
doloris signum edidit. Ita domi formata  
iuuentus, ea demum militiae opera ge-  
sebat, quibus vetusta omnis memoria  
plena



plena est. Et iam quid audire eos aut à  
 duce, aut à patribus par erat, cum in hos-  
 tes progressuri per blanditias mone-  
 rentur à matribus, vt aut viui arma res-  
 ferrent, aut mortui in armis referren-  
 tur: quoniam tradere arma hosti, aut ea  
 abijcere, fugientes peius morte iudica-  
 bant. Igitur illi, vt partes corporis, & cura-  
 rabant ea, & tuebantur. Nec mirum, si  
 se viui in armis crebrò spectandos exhi-  
 bebant, qui etiam mortuis fore ea sibi  
 decori relata existimarent. Præstat au-  
 tem consuetudo vsusq; deferendi, vt ar-  
 mis æquè ac membris aut vestibus vs-  
 tantur, nec videatur ex eis corpori onus  
 adiectum. Nam nisi ita fuissent Roma-  
 næ legiones longa assiduacq; exercitati-  
 one institutæ (ab exercendo namq; ex-  
 ercitus dictus est) quonam pacto pos-  
 tuissent pedibus in agmen procedere,  
 ac plerumq; citatum: arma primum de-  
 ferre, vallum insuper, & si cuius rei ad  
 quotidianam egerent vsum, ac super  
 hæc vna sæpè quindecim aut eo am-  
 plius dierum cibos, onus iumento disa-



PETRI PAULI VERGERII

ficile: Qui ergo erunt aut armorum aut  
literarum studijs dandi ( quandoquid-  
dem hæ sunt liberalissimæ artium, max-  
imeq; principales, propterea quòd &  
maximè principes deceant ) simul ac  
membris vtì per ætatem licebit, armis  
assuescere debebunt: discendisq; literis  
primis tradendi erunt, cum primum po-  
terunt verba formare. Iamq; abinde re-  
rum illarum ac studiorum quæ sunt per  
vitam acturi, debent quædam quasi li-  
bamenta gustare, talibusq; exerceri rus-  
dimentis. Sed & hæc vtraq; ipsi facile  
exequi inuicem poterunt, vt certas ho-  
ras ad exercitium corporis habeant, &  
item certas literario ludo deputent. Ac  
non modò quidem pueros, sed & viros  
deceat hoc facere: quod & Theodosium  
principem facere solitum perhibent, vt  
die quidem aut exerceretur in armis,  
aut de subditorum negocijs iure dicen-  
do decerneret: nocte verò libris ad lu-  
cernam incumberet. Ac de literarum  
quidem studijs suprâ satis quod visum  
est diximus: reliqua prosequamur. Ea  
igitur



igitur exercitia suscipienda erunt, quæ bonam valetudinem saluent, & robustiora membra reddant: in quo erit vniuscuiusq; naturalis dispositio diligenter attendenda. Nam qui sunt habitudine corporis molli atq; humida, fortioribus exercitijs siccandi indurandiq; erunt, cæteri leuius: & quibus sanguis facilis est inflammari, eos ardente sole quiescere conuenit. Sed & ætatis quoq; habenda erit ratio, vt vsq; in tempus puertatis leuioribus oneribus subiiciantur, ne vel ætatis neruus frangatur, aut impediatur corporis augmentum. Post puertatem verò grauioribus laboribus edomandi erunt, & impuberes quidem magis ad intellectum decet erudire, hos verò ad mores. Item illos ad disciplinam curare, hos verò magis ad robur & valetudinem corporis. Quantum autem sit momentum in exercendis iuuenibus & quæ cura adhibenda, exemplo sit Marius, qui (vt autor est Plutarchus) etiam senex, & multa corporis mole grauis, vir tanta belli gloria, per pacem ta-



PETRI PAULI VERGERII

men, vt filium militaribus officijs atq; actibus institueret, quotidie cum adolescentibus veniebat in campum, & exercitabatur vnà. Per hæc namq; adumbrata certamina, ad veras pugnas audaciores doctioresq; perueniunt. Nam nisi esset utilis hæc pugnandi disciplina, quæ per pacem atq; in ocio quæritur, frustra nec non temerè, P. Rutilius consul armorum tractadorum disciplinam primus accipere milites voluisset, qui doctoribus gladiatorum vrbe accitis, meditationem hanc vicandi atq; inferendi ictus, penetrare in castra iussit: vt miles non solum viribus & audacia, quibus antea solis nitebatur, sed etiam arte industriaq; valeret. Docendi sunt igitur iuuenes, quæ in hunc vsum pertinent, vt posse hostem gladio quidem dextra ferire, sinistra verò breui umbone se tegere, ensem verò, fustem, lanceamq; vtrisque manibus tractare: & nunc quidem se effundere, nunc verò denuo sub clypeum cogere, punctim casimq; sine difficultate ferire. Exerceri quoq; decet in cursu,



cursu saltu, lucta, ac pugilari certamine,  
 iaculari quàm longissimè, rectè sagittas  
 re vibrare sudes, saxa rotare, equos do-  
 mare, eosq; nunc ad cursum aut saltum  
 adactis vrgere calcaribus, nunc item flex-  
 xis habenis medio cursu peruertere, &  
 ita in vtrunq; separare, vt & eques &  
 pedes pugnare quisq; facile possit. Equis  
 tum quoq; occursum, dum sele telis infe-  
 stis petunt, & audaciores facere solet, &  
 ad pugnam doctiores, cum & cuspidem  
 suam vbi intenderint, locare didicerint,  
 & contra se venientem aciem immotis  
 luminibus perferre. Armorũ verò spe-  
 cies, quemadmodum & vestimentorũ,  
 quotidie variat vsus. Eam autem muta-  
 tionem ita sectari oportebit, vt experias  
 mur singula, meliora verò semper tene-  
 amus. Similiter aut et pugnandi consue-  
 tudines variari solent. Nam olim quidẽ  
 temporibus priscorum heroũ, curribus  
 duces depugnare consueuerunt. Postea  
 verò, apud Romanos maximè, pauci  
 equites, aut certè non multi. vis autem

F iij exercitus,



PETRI PAULI VERGERII

exercitus, penè tota in peditibus erat.  
 Nunc nemo curribus, omnes fermè in  
 equis bellantur. Quod autem in vſu eſt,  
 ſi modò præſtat, ſeruare conuenit, &  
 per campeſtres exercitationes aſſiduè id  
 meditari, ac deniq; oportet ad ſingula  
 certaminum genera præexercitatos ve-  
 nire. Nam aliter in tumultuaria pugna  
 agendum eſt, aliter cum tota decernitur  
 acie, aliter quando concurrunt manipu-  
 li, aliter cum duello conſigitur. Nam  
 pleriq; in acie fortiffimè viſi ſunt dimi-  
 care, qui cum eſſent ad ſingulare certa-  
 men prouocati, animo viribusq; torpu-  
 erunt. Quanquam diſciplinę hoc genus,  
 quod per ocium quæritur, longè impar  
 eſt ei quod inter bellorum tumultus per  
 indigentia rerum omnium verosq; ter-  
 rores diſcitur. Itaq; monebat Flaccus:  
 Anguſtam amicè pauperiem pati  
 Robuſtus acri militia puer  
 Condiſcat, & Parthos feroces  
 Vexet eques metuendus haſta:  
 Vitamq; ſub diuo & trepidis agat  
 In rebus.

Sic



Sic enim ad illa maiora peruenietur, quæ futuros bellorum duces, & usu & ratione consequi oportet, ut quibus artibus ducendus sit exercitus, quibus locis castra statuenda, quo ordine locandæ acies, qua quis ratione præuenire hostium consilia possit, ac more belli insidias illis ponere, & ab ijs positas cauere, hostilis exercitus milites distrahere, suos autem metu beneuolentiæq; continere, nec militarem vnquam remittere disciplinam. Ut enim virtus militum ducibus laudem parere solet, ita & illorum peccatū culpæ plerunq; adscribitur ducis. Non æquè verò ex benefactis gloria, atq; ex peccatis ignominia nascitur. Ipse omnia quæcunq; tempus habet prædeliberata, exequi debet: nec aut in re noua aut subita tumultuari. Neq; enim stare militum animi possunt, cum ducis consilium labat. Milites verò ipsos oportet natura quidem fortes existere, bellandiq; artibus instructos: animi multum habere, armorum quod satis sit, alimentorum verò non nisi quod necessitati



PETRI PAULI VERGERII

cessitati suppetat. Quæ igitur sint ducis,  
 quæ militis partes: quod equitis, quod vè  
 peditis sit officium, vsus atq; experien-  
 tia docebit: quæ profectò ex re ipsa latè  
 refert quàm melius cognoscere liceat,  
 quàm aut voce percipi, aut vllis tradi li-  
 teris possint, tametsi extent de re milita-  
 ri libri à magnis viris editi, qui non vtiq;  
 tibi erunt negligendi. Sed & machina-  
 rum quoq; vim vsumq; nosse ducem os-  
 portet: cuius rei solertissimum esse tu-  
 um parentem vides, quo nescio an quis  
 quam studio maiore quæsierit, aut eius  
 generis plura fortè pararit. Postremò ut  
 ab his rebus non aliena, natandi quoq;  
 peritia adolescentibus adhibenda est: in  
 qua & Augustus Cæsar nepotes suos  
 (nam filios quidem nullos suscepit) ita  
 erudiri studuit, vt & ipse plerunq; per  
 se doceret. Nam & à magnis periculis  
 liberare homines solet, & ad nauales  
 pugnas transmissionesq; fluminum aus-  
 daciores reddit. Et in hoc toto quidem  
 genere rerum quæ ad militaria perti-  
 nent exercitia, habes quos imitare, ger-  
 manos



manos tuos maiores, Franciscum & Iacobum, magnanimos viros, & in armis late cognitos, omnique prudentia & moderatione insignes: quos te decet semper, ut facis, omni fide ac pietate colere, & ita illos probe imitari, ut minoribus & exemplo virtutis, & praesidio ad casus esse valeas. Optimè quidem enim generis humani societas constabit, si sancta sint iura sanguinis: & erga superiores quidem reuerentia, ad inferiores vero humanitas, cum paribus autem moderatio facilitasque seruabitur. Verum quoniam in opere non semper versari possumus, sed oportet interdum laxamenti aliquid indulgeri, huic ipsi generi modum rationemque nunc praescribamus. Primum itaque praecipuum est, idque potissimum, ut ne quis turpis ludus aut noxius suscipiatur, nec nisi quantum aut acuat industriam, aut corporis vires exerceat. Nam quod Scipio ac Laelius, & interdum Augur Scauola, qui fuit Lelii gener, soliti sunt, dum animi remissioni vacarent;



vacarent, in littoribus maris aut alueis  
 fluminum calculos conchulasque lectitas  
 re, fiebat in his prorsus necessitate qua  
 dam: nam non nisi functi magnis labo  
 ribus, aut cum essent ætate iam proue  
 cta, ad hæc ipsa veniebant. Sed laudabi  
 lior in hoc genere forsitan idem Scæuo  
 la, qui optimè pila dicitur lulisse, quòd  
 scilicet forensibus negocijs & interpre  
 tandi ciuilibus iuris labore fatigatus, ad  
 hoc potissimum ocium recreandarum  
 virium causa confirmandorumque late  
 rum sese conferebat. Est eiusdem gene  
 ris venationis, aucupij, piscationumque  
 cura, quæ & delectatione plurima affi  
 ciunt animum, & vim membrorum mo  
 tu laboreque confirmant.

Leuiter austerum studio fallente la  
 borem, vt inquit Horatius. Nam hæc  
 nisi tanta voluptate condirentur, quis  
 est qui sponte subire tantum laborem  
 vellet, aut perferre vlla vi posset? quan  
 quam hoc ipsum Lycurgi legibus studi  
 um erat, non ocium adolescentium. Aut  
 si hæc forsitan grauiora videbuntur,  
 quam



quàm vt de studio fessos leuare possint, licebit aut prorsus quiescere ac leuiter adequitare, aut deambulare suauiter: licebit etiam iocis inuicem ac salibus vti modestis, qui Lacedæmoniorum per ocium mos erat. Quam autem ferat ea res vtilitatem, in vita Lycurgi perscriptum est. Sed nec erit quidem indecens, cantu fidibusq; laxare animum: qua de re superius est habita nobis mentio. Nã & Pythagoreorum mos hic erat, & fuit quondam priscis heroibus celebre, vt Achillem Homerus inducit à pugna redeuntem in hac re solitum acquiescere, non quidem amatorias cantiones, sed virorum fortium laudes modulantem. Ita ergo per ocium poterimus aut ipsi facere, aut alijs facientibus indicare, & eos modos amplecti, qui conuenientiores nobis temporibusq; videbuntur. Nam Siculi quidem modi ad remissionem animi magis faciunt & quietem, Gallici verò contrà ad exercitationem & motum. Itali autem inter hos medium tenent, Et item quæ pulsu aut cantu  
 fit



fit melodia, decentior est: quæ verò sp̄s  
 ritu atq; ore, minus videtur ingenuis  
 conuenire. Sed & ad sonos saltare, &  
 muliebres ducere choreas, indignæ viro  
 voluptates videri possunt: tamen si sit in  
 his rebus fructus aliquis, quoniam &  
 corpus exercent, & multam membr̄is  
 dexteritatem adiūciunt, si non lasciuos  
 iuuenes redderent, eorumq; mores bo-  
 nos nimia vanitate corrumpere. Non  
 ita tabulæ ludus, quoniam pugnae specis  
 em præfert, hostilisq; certaminis: quem  
 Palamedes Troiano bello, vt vetustis-  
 simi autores tradunt, adinuenit, vt vel  
 hoc negotio milites occupatos teneret,  
 ociosumq; auerteret à seditionibus ex-  
 ercitus. Alexæ verò ludus aut cupiditas  
 tem habet minimè liberalem, aut inde-  
 centem viro molliciem. Nam qui lucri  
 causa id agunt, maioris quæstus nego-  
 cia commodius agerent: qui verò volu-  
 ptatem inde venantur, tardiusculi sunt,  
 quòd aliud nihil possunt inuenire, in  
 quo honestius delectentur. In his igitur  
 ludis delectari cōuenit, qui artis aliquid  
 aut



aut certè plurimum, casus verò quàm  
 minimum habeant: nisi forsitan ea non  
 putet quis arte vacare, de quibus rebus  
 fuit ratio literis tradita: aut maiestate  
 motus auctoris, non putet indecorum fa-  
 cere de quo is decorum sibi scribere ex-  
 istimasset. Nam Claudius Cæsar de aleæ  
 Iudo librum edidit: quo studio delectari  
 solent, qui sunt in hoc vnum diligentes,  
 vt omnem substantiam negligant, aut  
 certè vt vniuersum vitæ tempus amit-  
 tant. His autem quibus literarum studia  
 voluptati sunt, varietas lectionis solati-  
 um afferet. noua quæ lectio veteris fastidi-  
 um tollet. Interdum tamen etiam opus  
 est prorsus, vt videtur, nihil agere, om-  
 nino quæ opere vacare, vt sufficere de-  
 mum operi labori quæ possimus. Nam qui  
 semper intentissimus est nervus, nisi re-  
 mittatur aliquando, rumpi solet: tamen si  
 nullum est tempus laboriosius sapienti,  
 quæ quo nihil agit, si modò potest sapiens  
 nihil agere. Quosdam autem accepimus in  
 hunc modum tempus distribuere soli-  
 tos, vt per diem ac noctem tertiam  
 partem



partem somno permitterent, tertiam refectio-  
 nibus ac vacationi, reliquum libe-  
 ralibus studiis darent: quorum ego  
 neque damnare rationem satis audeo, ne-  
 que probare penitus possum. Id autem  
 affirmare & possum & audeo, eò minus  
 elabi nobis ætatis, atque hoc nos diutius  
 vivere, quò plus temporis bonis studiis  
 mancipamus. Illud verò de corporis  
 cultu nunc postremum attingamus, ut  
 sit decens, neque nimium exquisitus, neque  
 prorsus neglectus: sed cum rei, loco,  
 temporisque, tum maxime personæ con-  
 ueniat. Neque enim sedere in literatoria  
 schola coronatum, aut subducta veste  
 conuenit, aut in certamen armorum  
 fluxa toga, manuleatumque prodire: nec  
 vero principis filium æquè cum plebeo  
 io, vili sordidaque uti tunica, aut trita chla-  
 myde se præbere spectandum. Nimia  
 autem cultus venustatisque cura, mulie-  
 brem animum designat, & multæ vani-  
 tatis argumentum est. Indulgenda sunt  
 tamen adolescentibus quædam, neque  
 omnia eorum peccata seuera sunt ani-  
 maduers



inaduersione punienda. Nisi enim ex parte aliqua iuuentutem expleuerint, ætatis illius vicia conferent in senectutem.

Hæc ego ad te Vbertine scripsi, ut sum in initio pollicitus, non tam ut com-monefacerem quid fieri à te oporteret, quàm ut te ipsum ostenderem tibi: quò si naturam sequeris ducem, nihil moni-tore opus habes ad summam virtutem obtinendam. Nisi enim à te ipso deficias, præclare de te omnia policeri indo-les tua videtur. Laudes autem si quas tribuere tibi sum visus, ita à me velim accipias, ut magis illas calcar ad bene-faciendum existimes, quàm benefactorum præmium esse. Adniti igitur sum- mis viribus te conuenit, ut eum te præ-stes virum, qui his tam generosis adoles-centiæ tuæ primordiis dignè respon- deat, ne aut tu naturæ muneribus malè usus, aut illa in te tam egregia indoles mentita videatur: nè ve ego (si quid mea causa tangeris) aut falsus de te vates,

G aut




PETRI PAULI VERGERII.


aut vanus prædicator extiterim. Si probè itaq; gesseris habebis quidem ab omnibus præsentem laudem : à me verò etiam literis , si qua nobis eiusmodi facultas erit , posteritati commendabere. Si minus, vnus ero qui audeam planè dicere , idq; palàm fateri , nihil tibi nisi te ipsum videri desuisse.

FINIS.





























PETRI PAULI VERGERII.

aut vanus prædicator extiterim. Si pro  
bè itaq; gesseris habebis quidem ab om  
nibus præsentem laudem : à me verò  
etiam literis , si qua nobis eiusmodi fas  
cultas erit , posteritati commendabere.  
Si minus vnus ero qui audeam planè





PETRI PAULI VERGERII.

aut vanus prædicator extiterim. Si pro  
bè itaq; gesseris habebis quidem ab om  
nibus præsentem laudem : à me verò  
etiam literis , si qua nobis eiusmodi fa  
cultas erit , posteritati commendabere.  
Si minus, vnus ero qui audeam planè

i

